OBSERVATIONES CRITICAE
IN
COMOEDIAM GRAECAM
SELECTAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

PROMULGAVIT

UDALRICUS DE WILAMOWITZ-MÖLLENDORFF

CUJAVUS.

BEROLINI MENSE JULIO ANNI MDCCCLXX.

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

CAROLO PETER

RECTORI PORTENSI

PIETATIS ERGO.

I.

Explicatur Aristophanes Vesp. 54—65.

ΞΑΝ.

φέρε νῦν κατείπω τοῖς θεαταῖς τὸν λόγον,
ὀλίγ' ἄτθ' ὑπειπὼν πρότερον αὐτοῖσιν ταδί,
μηδὲν πρὸς ἡμῶν προσδοκᾶν λίαν μέγα,
μηδ' αὖ γέλωτα Μεγαρόθεν κεκλεμμένον·
ἡμῖν γὰρ οὐκ ἔστ' οὔτε κάρυ' ἐκ φορμίδος
δούλω διαρριπτοῦντε τοῖς θεωμένοις,
οὐθ' Ἡρακλῆς τὸ δεῖπνον ἐξαπατώμενος,
οὐδ' αὖθις ἐνασελγαινόμενος Εὐριπίδης,
οὐδ' εἰ Κλέων γ' ἔλαμψε τῆς τύχης χάριν,
αὖθις τὸν αὐτὸν ἄνδρα μυττωτεύσομεν.
ἀλλ' ἔστιν ἡμῖν λογίδιον γνώμην ἔχον κτλ.

Aristophanes his versibus per Xanthiae os spectatores hortatur, nolint quidquam magni expectare[1]) neve tamen Megaricos jocos[2]), Vespas enim esse *λογίδιον*, more

---

[1]) Veluti *μάχην Ἡρακλείαν* Vesp. 1029. Tac. 760.

[2]) Eupol. Prospalt. 3. Myrtil. Titanop. 1. Ecphantid. inc. 2 unice vere ab Hermanno Jen. All. Literat. I, 504 correctum

Μεγαρικῆς κωμῳδίας
ᾆσμ' ᾖδον εἰ μή' σχυνόμην
τὸ δρᾶμα Μεγαρικὸς ποιεῖν

Cratetis compositam fabulam, scil. cujus *σύνθεσις τῶν πραγμάτων* simplex et quae fieri possit, sit, ad *τὸ εἰκὸς καὶ οἷα ἂν γένοιτο* revocata[3]). quod genus medium esse demonstrat inter id, quod nos *κατ' ἐξοχήν* antiquam comoediam vocamus, quod summum et nobilissimum esse paene omnium fabularum parabasibus praedicat Aristophanes, et jocos Megaricos, humiles et vero poeta indignos. utriusque generis in versibus interpositis afferri exempla consentaneum est[4]) eaque bina, ut *οὔτε — οὐδέ* suadet. agitur autem de tota fabularum compositione, de generibus inter se diversis, ut mordicus tenendum sit, nequaquam satis facere, qui particulam quandam attulerit, quam respicere posset Aristophanes; oportet afferat fabulam, quae in eo, quod hic memoratur, quasi cardine versetur, cuius argumentum, notum illud quidem audientibus, re ab Aristophane memorata significetur totum; v. c. Pax vocari hic poterat fabula, in

---

vel hinc apparet, Suevernium falli, qui v. 57 ad Acharnenses 729—836 refert; nam totum genus non una fabula his significatur.

[3]) Aristot. poet. 5. 1449[b] 5. quem probe intellexit primus Bernaysius in nobili dissertatione octavo novi mus. Rhen. volumini inserta. cf. etiam *δράματα βιωτικὰ* Anom. XV de comoed. Dübn. inter Cratetis fabulas huc referendae videntur Conamina Lusus Vicini. ceterum ex hac singulari Vesparum natura aeque intellegitur, cur eam potissimum Racinins sibi sumpserit imitandam, aeque cur Schlegelius minus ea delectatus fuerit. (Vorles. über dramat. pag. 206 Böck.)

[4]) Sufficient haec, ut cognoscatur, Lentschium falli de hoc loco disputantem Philol. supplem. 1860. pag. 102, cujus refutatio, si ad singula descendere vellem, verbosior fieret, quam utilior.

qua ingens simulacrum effoditur, quin etiam vel id satis demonstrat argumentum gnaro scilicet, fabula in qua *Θεωρία* senatui traditur. ignarus vero num ex eo divinasset? minime vero ad Pacem significandam suffecisset propter vs. 962 *κριθὴν ἐκ φορμίδος δοῦλος διαρριπτῶν*[5]). quae satis simplices videbantur et quae sponte se offerrent considerationes, tamen eis perpensis haud unum concidit interpretum commentum.

At ambigitur etiam alium in modum, quae in his versibus via ineunda sit, ut ad certam perveniamus interpretationem. vilissima sine dubio, nihilo tamen secius volgaris est, quam monstravit scholiasta 58, qui de malorum comicorum solito frigore aliorum locorum dissimili similitudine deceptus ariolatur, quasi non eadem omnium horum versuum, de quorum ultimis nemodum dubitavit, deberet esse vis. sane Aristophanes in parabasi Pacis, ubi in contrarium peccarunt scholiastae, et in initio Ranarum aemulorum ineptas perstrinxit consuetudines; atque vel nobis licet perspicere, Athenienses non aliter atque ceteros mortales saepius de eisdem neque profecto semper salsissimis risisse jocis, at hoc loco vel dualis *δούλω* melius ostendere debebat; atque saepe quidem epulans inducebatur Hercules, fortasse non semel esuriens et cena privatus, tamen quod illud additur, non decantatam voracitatem sed certam quandam fabulam, recentem in memoria spectatorum ab Aristophane tangi demonstrat. sed hoc intellegentes

[5]) Apte ad morem comicorum illustrandum hunc locum contulerunt et Plut. 795. adde Aristoph. frg. inc. 38. plura dabit volenti Leutschius philol. X, 706.

dudum perspexerunt existimatores paene omnes, tamen discidium inter eosdem tantum est, ut non solum de fabulis singulis suam quisque habere videatur a se excogitatam a se fotam opinionem, sed etiam in universum incertum sit, utrum aliorum an ipsius fabulas Aristophanes respexerit. quare me operam non perdere persuasum habeo, qui hanc quaestionem mihi delegerim enodandam et, quod fore spero, profligandam.

Atque versu 62 quin Equites spectetur, dubitatio nulla oriri potest, neque orta est inde ab scholiastis, Aristophanea quoque comoedia vellicatum esse Euripidem nemo fuit quin crederet[6]. at de Hercule emuncto ingeniosius quam verius multa conjecta sunt. inter quae eminet sententia Cobeti (obs. in Plat. 96 sq.) indagavit enim et singulari, quo pollet, exposuit acumine, in Platonis „Jove male habito“ Herculem, cum in lupanar devertisset, donec cena pararetur, cottabo cum scorto lusisse; mox vero sarcinis per lenonis dolum ipsiusque rusticitatem perditis, foras ejectum, ut frementi morem gereret stomacho, quidquid haberet, in emendis salsamentis, vilissimo cibo, consumpsisse. quae fabula cum consentire videretur cum versu Aristophanis, de inimicitiis inter illos poetas constaret, non sine probabilitate Cobetus vs. 60 *Δία κακούμενον* conjecit sugillari. at haec summi viri sententia duabus de causis stare non posse mihi videtur. nam cena Herculis nullo modo summa esse poterat fabulae; praetereundo tan-

[6]) Memorabile at a vitae Euripidis scriptoribus neglectum est, ceteros paene ad unum omnes comicos Euripidi parcere, qui v. c. novae musicae fere omnes adversati sunt.

tum leno cenam parari jubet, ut interim ludus cottabi, quo emungitur Hercules, instituatur; deinde licet antequam cenaverit, proiciatur — quamquam hoc nequaquam certum est; voracitatis enim multo minus interest, laute ut cenet, quam ut multos et graves devoret cibos; itaque fgm. 7, sententiae Cobeti unicum, idem etiam infirmissimum est fundamentum — sed licet certum sit, nihil inde ad totius fabulae argumentum redundat. etenim ut misisset leno cenam, misisset in hamo; eo certius sarcinis potitus esset; Hercules autem non cenae inhiat, omnino de voraci hic non agitur; agitur de libidinoso, inhiat puellae, ut recte de his scaenis *Ἡρακλῆς τὴν ἑταίραν*, minime *τὸ δεῖπνον ἐξαπατώμενος* dici possit. denique titulum comoediae omnino non curavit Cobetus, quo multa longe alia, at ut obscurissima, ita ad summam comoediae cognoscendam gravissimi momenti, eidem infuisse colligitur. at non minus haec quam omnis ejusdem generis[7]) conjectura concidit, unum si firmiter, ut decet, tenemus: omnino Aristophanem respicere non posse nisi proprias fabulas[8]). simplicissimum enim est, opinor, idem de omnibus hic eodem tenore memoratis fabulis statuendum esse; nam in eo,

---

[7]) Nominare certe volo, quam nec ipse amplius sustentare videtur, nec refutare tanti est, Bergki sententiam. Comment. 284 qui, nescio unde, compertum habuit, Cratinum potissimum hic vellicari.

[8]) Primus hoc sensit magis, quam probavit, sed recte tamen sensit Suevernius (Aristoph. wolk. 83), quem miscentem quidem veris falsissima, vellem certe respexissent, qui aliam in sententiam abierunt.

quod vs 61 alterum comoediarum genus, *τὸ λίαν μέγα,* addita iterationis particula laudatur, nemo haerere potest, quoniam eodem sententiae circuitu continentur omnia illa membra. quid enim? poteratne dici, nostrum argumentum neque Platonis Hercules est, neque rursus noster Euripides? rursus etiam Hercules prodiret; tum premendum fuisset inter poetas discrimen[9]). praeterea si alterius generis, *τοῦ λίαν μεγάλου,* Aristophanes ipsius attulit exempla, necessario etiam Megaricae comoediae propria exempla afferre debebat; quam ab eo ante Vespas omnino excultam esse id demonstrat, quod spectatorum partem tale quiddam expectantes facit. itaque id quoque firmum, in quo altiora extruantur, nacti sumus fundamentum, fabulas hic significatas esse Aristophaneas.

At jam fortasse suspicaris, me ei subscripturum esse sententiae, quam etsi retractata videtur ab ipsis auctoribus, Fritzschio et Dindorfio, multis tamen probari scio: ex Epulonibus Herculem illum afferri. nempe in ceteris, quae antea actae erant, comoediis, Babyloniis, Acharnensibus, Equitibus, Agricolis, Nubibus I, Onerariis, Herculi locus non erat, Epulones collegium Herculi sacrum exhibebant — quid promptius quam haec conjungere? tamen postquam Bergki de spectaculo joculari corruit sententia, quo pacto Hercules, isque de cena deceptus, in Epulonibus locum habere potuerit, me certe fugit. sane quod in capite dissertationis operosioris quam

9) Hoc vitium vel scholiastae interpretatio vitavit, qui de volgari argumento vs. 58—60 interpretatus est. tum enim *αὖθις* cum vi positum esset.

jucundioris aut fecundioris posuit Fritzschius, deesse in nube fragmentorum, unde nexum orationis, singulas personarum partes, totius denique fabulae dispositionem facile perspicias, etiamnunc magnam partem verum est. at cur ultra simplex et exploratum argumentum, quod de patre illo ex pago comice ficto Daetalensium (fg. 15. Bergk) et filiis Pudico et Paedicone[10]) est, transgrediamur, nescio. Vespae eum probant a tam simplici et absoluto argumento non abhorrere. mitto, quae de juvenili vel potius puellari poeta comminisci possint elegantiores; mihi certum praebere videntur argumentum numeri. etenim habes scaenam inter Patrem et Paediconem versibus Aristophaneis conscriptam, XII—XV. XXXII. inter eosdem senarios iambicos, XVI, trochaeos, XVII—XVIII. Pater graviter conqueritur octonariis iambicis XIX—XXIII. denique Schneidewinus in fragmento XLVIII recte agnosse videtur scaenam inter Paediconem et Pudicum[11]) comparata cujusvis ex servatis fabulae metrica discriptione clarescet, quanta scaenarum

---

[10]) Non dubito, qnin personarum nomina ipsa praebeat Aristoph. Nub. 529. miro errore Schneidewinus *σώφρονα ΧΡΗΣΤΟΝ* vocavit.

[11]) Cf. H. Jacobi in Meinekii Com. V. CXXXIII. multis virorum doctorum conjecturis addam facillimam certe sive paene nullam (*ἁγώ* pro *ἐγώ*)

ΚΑΤ. σοὶ γὰρ σοφίσματ' ἐστὶν, ἁγὼ' κτησάμην;
ΣΩ. οὐκ εὐθὺς ἀπεδίδρασκες ἐκ διδασκάλου;

malis suis artibus gloriatur Paedico prae Pudici simplicitate. cui ille, quibusnam rebus studuerit in urbe Paedico, non ignarus, ubi tu discere aliquid potuisti? nam statim a magistro (probo sine dubio, cui a patre traditi erant) profugisti.

vel potius *ἐπεισοδίων* pars illi argumento concessa fuerit, quae vero restant frustula, maximam partem spectant cenam, I—VIII. XXVIII (nam Fritzschii rationibus subscribere nequeo), XXXVI—XXXVIIII. iambica praeter I. hanc cenam paratam et praepositam esse choro, titulus demonstrare videtur. atque Bergkius testimoniis probavit, a patribus filios in fanum Herculis esse adductos[12]) Daetalensium vero ex pago fuisse Patrem diserte ait Galenus; dubium igitur non est, quin cum eo venerint filii et cibos vinumque porrexerint. neque occulta est Paediconis mentio, quem sibi melius, quam patri consuluisse verisimile est fgm. VI. X. postremo in eo omnes consentiunt, civitatis causam, quae in aliquot fragmentis agitur, ad eandem pertinuisse familiam (fg. XXIV—XXVII. XI) sive intulit eam Patri Paedico, ut volgo creditur, sive fratri, quod certe cogitari potest. at jam satis superque comoediae spatium expletum est; et profecto restant perpauca tantum, undeque nihil concludi possit, fragmenta; atque etiamsi non omnia dilucida sunt et haud pauca intentior quaestio sine dubio illustrabit, tamen, praesertim cum a conjectandi libidine

[12]) Ergo *ὁ χορὸς συνέστηκεν ἐκ πρεσβυτῶν Δαιταλέων καὶ νέων;* quod vero Bergkius senum et puerorum numerum aequalem fuisse dicit, sine ulla factum est causa. scholium enim Equitum 593 doctissimum est, cui fides habenda summa. omnino ibi dicitur chorus comicus, ubi ex personis sexu aut aetate diversis constitit, in *ἡμιχόρια* non aequalia divisus esse. scilicet ubi mares et feminae erant, 13 erant mares 11 feminae, ubi feminae et pueri, feminae 13 pueri 11. *εἰ δὲ πρεσβυτῶν καὶ νέων, τοὺς πρεσβύτας πλεονεκτεῖν δεῖν φασίν.* apparet, opinor, legendum esse *δυεῖν,* ita eadem ratio 13 : 11 existit.

manus abstinuerim, satis probabiliter post acutiorum conamina haec a me esse adumbrata existimo. alia, quae intellegenti et cogitanti existimatori per se valde mira videri possunt, veluti chori paene nullum esse vestigium, parabaseos nullum, perpaucos homines esse notatos, eosque praetereundo[13]), tantum abest, ut opionem nostram de simplicitate fabulae labefactent, ut, si quid omnino silentium probat, nulla re magis confirmari putanda sit. id, puto, sine controversia constat, Herculis non fuisse in Epulonibus partem. quibus omnibus perpensis facere non possumus, quin aliam, atque quae adhuc nota sit, respexisse Aristophanem putemus comoediam; docuit igitur praeter adhuc notas fabulam ante 422. nam ut in Acharnensibus Equitibusque, ita in Babyloniis Nubibus I Onerariis sine dubio non fuit Hercules, neque in Agricolis, certe hoc neque conjecit quisquam neque conici potest.

Porro quaeramus de versu 61, quoniam de 59 nihil de 62 omnia certa sunt. hic etsi de scriptore fabulae omnes consenserunt, ceteroquin in tam diversas abierunt partes, ut rectam viam nondum intratam esse, jure

---

[13]) Thrasymachus, Chalcedonius, ut post Suevernium evicit C. F. Hermannus, ind. lect. Gotting. 1848. 41. Lysistratus *Χολαργέων ὄνειδος,* de quo cf. Droysen, rh. mus. IV. 35. not. 35. Alcibiades illo tempore nondum adultus; Aristodemus, de cf. Cratin. Panopt. 5 qui non habendus est nobilis Cratini amator (ut putavit Bergk.), nam ille spurcus haberi non poterat, sed potius etiam impudicitiae nota in illum transiit, qui volgo *ὁ τρέσας* appellatur, de quo cf. Perizon. ad Aeliani var. hist. I, 27, Jacobs. ad Ael. hist. an. IV, 1.

rearis. atque Suevernius quidem Acharnensium scaenae lepidissimae nos monet. at quis Acharnenses vellicationem Euripidis nominare poterat? non probabilior Nubes I est, etsi ex versibus

Εὐριπίδης (at legitur melius *Εὐριπίδῃ*) *δ' ὁ τὰς τραγῳδίας ποιῶν*
τὰς περιλαλούσας οὗτός ἐστι τὰς σοφάς[14]).

nonnulli in scaenam ibi eum prodiisse putarunt. etiam de Senectute cogitari possit et idcirco Suevernii subscribi sententiae, ca. 424 illam fabulam actam esse, nam unum acerbissimum in ea de Euripidea poesi dixit Aristophanes fragmentum 17. sed de tempore fabulae rectius judicavit Bergkius, qui eam anno 420 tribuit, senes enim gaudio recuperatae pacis repuerascunt, Cleo tacetur, Eucrates nihil probat, nam etiam 424 dominatio ejus, 420 nondum vita praeteriit. fecundiam vero Aristophanis per annos 426—421 jam paene incredibilem omnino nisi coacti non augebimus, nedum ita, ut 420—417 paene exaruisse putanda sit. sane hic ultra veri speciem non progredimur, multa vero cum probabilitate ita disputatum esse crediderim. ceterum in has, et siquas alii proferre velint, fabulas idem cadit, ut Vesparum loco significari nequeant, quod in eis non data opera rideatur Euripides, cum hic vel Equitum propinqua mentio verum docere possit. haec quidem

---

14) Quod Dindorfius studio probandi, Nubes I paene non extitisse, hos verrus Teleclidae dedit, multis imposuit; mihi numquam persuasit, et valde gavisus sum judicio optimo Meieri opusc. II, 309 sqq.

vitarunt, qui Praeludium respici conjecerunt[15]), quam argumentum Vesparum ipsis Lenaeis 422 cum Vespis actam esse tradit. Richterus autem summa temeritate illud testimonium evellere studuit, et Vespas Liberalibus urbanis, Praeludium Lenaeis actas arbitratur. persuasit, opinor, nemini. supersedeo autem hic argumentationem ejus singillatim refutare; omni enim idoneo caret argumento. at ansam ei dedisse videtur hujus ipsius loci scholium, quod consulto huic loco seposui. deest in Ravennate, volgo ex deterioribus ita scribitur.

ἐνασελγαινόμενος || κατακωμῳδούμενος, ὑβριζόμενος, κατ᾽ αὐτοῦ γὰρ καθῆκε τὰς Θεσμοφοριαζούσας. φησὶν οὖν, οὐ δεύτερον ταυτολογήσω περὶ αὐτοῦ, ὡς οἱ ἄλλοι. ultima insipida et fatua; quibus diremptis restat contra tempus mendum, qualia ne hodie quidem inaudita et apud veteres grammaticos haud rara[16]), tamen hic serioris aetatis commentatorem produnt. grave vero insequens scholium. *οὐ μόνον δὲ ἐν τούτῳ τῷ δράματι*[17]) *εἰσῆκται οὕτως Εὐριπίδης ἀλλὰ καὶ ἐν Ἀχαρνεῦσιν.* scilicet vel

---

15) Maxime autem volgaris haec sententia est; video enim eam tueri Bergkium et Dindorfium ad Praeludii fgm. Meinekium, Com. V, 66. Welckerum (griech. Trag. II, 686).

16) Ne oratorum *κρίσιν* qualem Dionysii Dinarchus potissimum cognoscendam praebet afferam cf. quae laudat Dindorf. schol. Equ. 523 Nub. 6 quibus addas Asclepiad. schol. Av. 348, schol. Vesp. 1326, denique aenigma Oedipum expectans, schol. Av. 521.

17) Verba intellegi nequeunt. ad thesmophoriazusas si refers, hiat omnis sententia. natura cogit, ut ineptias audias, Vespis rideri Euripidem. tamen fuit, qui serio ore hoc pronuntiaret: Firnhaberus de Eurip. Heraclid. pag. 3.

exilia Praeludii frustula Thyestae ollam in ea ferbuisse demonstrant, et pro certissimo habere possumus Thyestam[18]) Euripidis ea vellicatam esse. hinc sibi sumpsisse videtur Richterus, Proagonem ante Vespas actam esse; tamen apertissimum est, grammaticum, qui haec adnotavit, tempora non curasse; volebat modo indicare, ubi Euripides praeter illam, quam hic respiciat, fabulam, irrideretur. talia sufficient ad labefactandam fidem *ὑποθέσεων*, quibus certius in literis antiquis omnino nihil est! at etiam alteram non possum non mirari sententiam: potuitne enim fabulam simul actam significare Aristophanes? concedo, spectatoribus verum auctorem non fuisse ignotum (per Philonidem enim docebat Prae-

---

[18]) Thyestam dico, non Cressas, consentio enim cum G. Hermanno, praef. in Cyclop. XIV has fabulas diversas fuisse pronuntiante, quamvis alias secutus rationes. Cressarum enim argumentum tradit schol. Soph. Ai. 1269. Aeropae adulterium, quo cognito Nauplio traditur in mare proicienda, at ab eo servata Plistheni nubit cui Agamemnonem et Menelaum parit (Apollod. 3. 2, 2). Thyestam vero idem argumentum tractasse atque Sophoclis alteram certe et Senecae fabulam, Praeludium docet praeter alia minus certa. haec quomodo conjungi potuerint, liberrima conjectura non possum assequi. miro autem more abutuntur schol. Ar. Acharn. 433 *Θυεστείων ῥακῶν: ἤτοι τὰ τῶν Κρησσῶν ἢ αὐτοῦ τοῦ Θυέστου.* ego hic audio, Thyesteae laciniae aut ex Cressis sunt, (ubi ille persona) aut ex ipsa cognomine fabula, ut diserte optimus interpres diversitatem probet; illi videntur putasse, dici, Thyesteas lacinias in fabula Thyesta aut Cressas portasse aut ipsum Thyestam; quod ineptum est, nam quid Dicaeopoli cum chori vestimentis? ceterum Valckenarium Welckerumque falsos esse, ei tribuendum, quod Orione nondum uti poterant, qui Thyestae rara frustula duplicavit.

ludium) at num spectatores statim hoc ita interpretari poterant? valde simplex est, eundem poetam eodem die non esse tractaturum idem argumentum, potestne hoc cum longe diversis misceri? certe igitur, quoniam Ecclesiazusarum exitus probat, etiam ordine fabularum constituto assutos esse a poetis versus, indicandum illud erat Aristophani, nisi potius mecum consentis, omnino ineptissime fabulam alio nomine modo actam respecturum fuisse Aristophanem. devenimus igitur hic quoque ad idem, quod supra collegimus de versu praecedente, scripsisse Aristophanem praeter notas etiam aliam quandam ante Vespas fabulam.

Jam, nisi doctrinae veteris auxilia, dudum quidem publici juris facta, sed, quantum mihi certe harum literarum innotuit, adhuc spreta, accederent, perlustrandae essent fabulae, quibus aut Hercules aut Euripides continebantur; sed, quamquam confido, sobrium et cautum, quod tamen ob difficultates desperandum non ducat, judicium verum fuisse reperturum, gratia codicis Veneti non opus est salebrosa conjecturarum via. Venetus enim teste Duebnero adn. ad schol. p. 450 loco scholii supra positi exhibet ad vs. 61. *οὐ μόνον ἐν τοῖς Δράμασιν εἰσῆκται κ. τ. ἑ.*, quod verum esse Duebneri fugere non poterat judicium. jam vero, quaeso, superius scholium contemplare: *ἐν τοῖς πρὸ τούτου δεδιδαγμένοις Δράμασιν εἰς τὴν Ἡρακλέους ἀπληστίαν πολλὰ προείρηται.* ecce etiam illa patent; quam verum hoc sit, pluralis arguit, qui per se ineptus esset, quoniam ad unam fabulam respexit Aristophanes. agnoscimus autem disjecta membra antiqui et optimi commentarii, quem scholiorum compilatores (Symmachus et Phainus) con-

texuere futilibus ipsorum commentis; in illo commentario adscripta erant ad vs. 60. οὐθ' Ἡρακλῆς || ἐν τοῖς — πολλὰ προείρηται, ad vs. 61. οὐδ' αὖθις ἐνασελγαινόμενος || οὐ μόνον ἐν τοῖς Δράμασιν —Ἀχαρνεῦσιν. haec vera et sincera. atque quod saepe in Aristophanis scholiis animadvertere licet, hic quoque locum habet, optimae notae scholia, quae ad Didymum et Alexandrinos redeant, antiquitus cum talibus permixta esse, quae grammaticus, fortasse non ita recentis aetatis, scripsit, verba tantum aliquo modo ut discipulis potissimum explicaret, usus ille integris fabulis eis tantum, quas nos quoque habemus, atque praeditus linguae non spernenda doctrina, ceterum valde mediocri, ingenio satis pingui. ceterum, ut ad causam nostram redeamus, unice sequendum mihi videre, de Dramatis quod traditur, vix est, quod pronuntiem. sunt, qui aliter judicent de grammaticorum veterum fide; quos iratos habeam, nam sane mirum est, bis ab Aristophane eandem significari fabulam, neque aliunde eodem ducunt nisi tenuia et pauca vestigia. tamen non esse afuturos spero, qui prae veterum doctrina nostraque ignorantia extrinsecus allatas spernant dubitationes. id vero etiam nobis licet cognoscere, quam accurate habuerit scriptor illius adnotationis historiam comoediae. verbis enim τοῖς πρὸ τούτου δεδιδαγμένοις distinguit inter duas, quae extiterunt, Dramata. altera igitur ante Vespas, altera post acta erat, qua de re facile est judicium. Niobus enim ab antiquis criticis Archippo potius quam Aristophani tribuebatur. Archippus autem fabulas docere coepit post Vespas[19]).

[19]) Talis tota videtur fabularum Archippi indoles ac natura, quarum pars — v. c. Pisces nobilissima — post Euclidae annum

si porro grammatici scivissent, Niobum ab Aristophane ipso tamquam genuinam respici, de origine non poterant dubitare. Centaurum igitur ante 422 docuit Aristophanes. atque quoniam annis 424. 23 jam binae adscribendae sunt fabulae, Lenaeis autem 425 cum Acharnenses ageret, jam in conscribenda Equitibus occupatus erat Aristophanes[20]), duas vero fabulas etiam primo anno quo in publicum prodibat, vix tradere audebimus, unum restat festum tempus, quo Centaurus docta esse potest Lenaea 426; cujus anni Dionysiis Babylonii[21]) docta est. qua in computatione egregie juvor Acharnensium vs. 1155 ubi chorus Antimachum execratur, *ὅς γ᾽ ἐμὲ Λήναια χορηγῶν ἀπέλυσ᾽ ἄδειπνον;* quae nisi fatue admodum locutus est Aristophanes, ad proxima referemus Lenaea, ut fabulam illo tempore ab eo doctam esse, per ipsius sciamus testimonium[22]).

Etsi autem fructus, qui ex recta illius scholii interpretatione colligitur, omnino non exilis est, tamen valde dolendum est, de argumento fabulae, quae ob irrisionem Euripidis summae nobis esset oblectationi et ad utriusque poetae cognitionem multum afferret lucis, nihil posse

---

docta est, ut de Suidae testimonio s. v. dubitandum non sit. cui non refragatur schol. Vesp. 479 nam Aristophanes ipse non unum certemque hominem respicit.

[20]) Apertissimum hoc est, et vel Athenienses non videtur latuisse, propter vs. 300.

[21]) Vide Dindorfium in praef. Babylon. Poet. Scen. ed. Lips. quinta, pag. 185; Bergk, Com. II, 966.

[22]) Quomodo Meinekius haec ad ipsa illa Lenaea ipsam illam *χορηγίαν* Acharnensium referre potuerit, hist. crit. 41, non intellego.

enucleari. namque vel id aegre perspici potest, quomodo Herculis cena abrepta furor cum Euripidis vellicatione conjunctus esse potuerit. quod enim facile conicimus, fabulam aliquam Euripidis parodia expressam fuisse, difficile demonstrabimus. Scilicet, Hercules furens post pugnam ad Delium commissam (424) scripta, huc non pertinet[23]). praeterea in censum venire potest Alcmena et fortasse Licymnius, si ex fgm. 476, quod de Hercule dicitur, eum personam fuisse, recte colligi potest. at adeo oblitterata utraque tragoedia est, ut vanum videri debeat, hic aliquid conjectari[24]) atque ex

---

[23]) Cf. Zirndorfer, chronolog. fab. Eurip. 58 sq. Hartung, Eurip. restit. II, 19 sq.

[24]) Alcmena prorsus obscura est fabula; quamvis speciosa una ex parte Welckeri sit suspicio, non diversam eam fuisse a Rhadamantho, quando quidem in marmore Albano omissa est. cur vero Rhadamanthus spuria haberi poterat, si eadem erat atque Alcmena genuina? fragmenta vero, quae extant satis multa nihil probant, nisi fortasse antiquiorem esse fabulam, nam severissimis numeris 25 senarii constant. Licymnius, si dis placet, obscurior est. acta vero ante Pacem Aristophanis, nam quod schol. 528 fgm. 727 *Τηλέφου ἢ Τληπολέμου* laudat, priori nulla fides est habenda titulo; cum enim Aristophanes saepissime rideat Telephum, grammatici, ubi parodiae exemplum nesciebant, ex Telepho aut fabulosa Telephi editione priore repetebant, cf. schol. Ran. 1427, Acharn. 472. Tlepolemus autem nisi in Licymnio persona esse nequit; ibi sive dubio est accedit, quod meminimus Aeschylei versus Prometh. solut. 196, quem Euripides nescio au consulto expresserit, ubi Herculis filium alloquebatur. quod vero aliquot critici Avium vs. 1242 ad Euripidis Licymnium rettulerunt, errore factum esse, jam Callistratus vidit. atque re vera spectaverit Aristophanes Licymnium acto-

fragmentis ad Euripidem nihil referas; ex incertis vero nihil juvat cum Dramatis jungere, siquidem etiam Caveae occupatrices, Gerytades, partim etiam Senectus Phoenissae Polyidus et fortasse haud una praeterea dicteriis eis locum dare poterat. at Hercules cena privatus etiam sine hoc auxilio felicissime agnitus est a Bergkio. qui ex fragmentis 3 et 5 porro ex Dramatis nude allatis fragmentis 2 et 3 conclusit, Herculem apud Pholum devertentem in Centauro esse repraesentatum. atque illa ipsa cena turbata est per Centaurorum, quos odor vini a Pholo prompti alliciebat, irruptionem. titulus vero Centaurus incertus est, quisnam enim ille est? Pholus? Chiro? ita hic in dubio haeremus. neque certior alter est. ad quem contulerunt Etym. M. s. v. *δράματα, λέγεται δὲ δράματα καὶ τὰ ὑπὸ τῶν θεατρικῶν μιμηλῶς γιγνόμενα, ὡς ἐν ὑποκρίσει, οὕτως Ἀριστοφάνης.* sed neque haec a quoquam probabiliter explanata sunt, neque certum est, utrum poeta an grammaticus Aristophanes significetur. nota est Bergkii sententia (quae partim fgm. IX Epulonum, quod videbatur, re vera Theophylacti Simocattae est, et interpolatis et bene a Dindorfio sublatis verbis, quae in Etym. M. a me excripta secuntur, nititur) ludicras fabellas comoediae intextas his significari; atque habet, quo arrideat, sed multum abest, ut veri similis dici possit; certe Bergkius *ἐπεισόδια* non debebat comparare; quantum enim intersit inter scaenam, quae extra fabulae continuitatem po-

---

rem *Πομπόμπων* Aeschyli, quam inde Niobae trilogiae recte inseruit Welckerus cf. Alciphron. III, 43.

sita sit, interque duplicem actionem, qualem exhibet a Bergkio comparata Shakespearii „Somnium solstitiale“, non opus est exponi. itaque hoc quoque obscurum est; satiusque videtur, ignorantiam fateri, ubi solum adhuc obrutus fons aut doctrinae aut ingenii aliquid certi aperire potest, contentique simus et quando et quo consilio Centaurum scripserit Aristophanes, jam notum esse. tamen, ut fieri solet, ubi lux insperata effulsit, radii aliquot ante obscurati aut non animadversi perspiciuntur, qui ad eandem lucis sedem ducere potuerant. quod enim ex Dramatis laudatur fg. 4. ex Centauro esse, Centaurum vero ea de causa intra annos 426—422 scriptam, demonstrari poterat; scilicet *βύρσαν πόλιν Ἀθηναίων*[25]) nisi Cleone imperitante dici non potuisse, apertum est, nec fugit Meinekium ad frgm. adesp. 111. Niobus vero illo tempore cur docta esse non possit, demonstratum est[26]). hucusque igitur ceteris nostris subsidiis ad eundem pervenire poteramus finem, quo nunc nos duxit antiqui grammatici adnotatio. atque talia fortasse augeri possent, nisi pigeret me disputationis, cujus clausula ubique eadem esse deberet, omnia esse incerta. fines vero inter ea, quae probabilia aut vera videri possint et ea, quae et sciri nequeant et nesciri debeant, satis distincte mihi videor discripsisse.

---

25) Videtur enim ita recte scripturam codicis *Θ˜* emendasse Musurus.

26) Si rationem habemus ingeniosissimae Hermanni conjecturae in vita Sophoclis (pag. 8 Jahn) qua tota de Sophocles *παρανοίας* reo ad *Δράματα* redit fabella, ultra progredi licet. nam quoniam et optimum et comoediae aptissimum est, quod tra-

Cognito vetere scholio dubitationes, quas supra aliis causis delere conatus sum, sponte conciderunt quasi ex eventu. et certas et Aristophaneas singnificari fabulas, constat; etiam de juglandibus igitur non aliter erit statuendum; quibus quo pertineant cognitis etiam 58—59, qui jam obscuri sunt, patebunt. quod factum iri non est desperandum, adhibita indirecta, quam vocant, argumentatione. aliam, praeter eas, quae notae sunt, fabulam ante Vespas non scripsisse Aristophanem, paene certum est. atque praeter servatas etiam in Dramatis non videntur juglandes a duobus servis in caveam projectae esse; primum enim ter eandem fabulam respici parum probabile est, deinde etiam grammaticus ille, qui Centaurum noverat, aperte ejus ante vs. 60 non meminerat. restant igitur tres fabulae Babylonii, Onerariae, Agricolae. multo vero hujus dissertatiunculae excederem fines, si de consilio et compositione illarum fabularum disserere vellem, quamquam multa accuratius posse cognosci mihi exploratissimum est. hic vero pauca sufficient.

Atque Babylonios quidem legatorum a rege Persarum reversorum superbiam et vaniloquentiam, insularum a rabulis Atheniensis fori male habitarum infortunia, Eucratis et Cleonis funestam et sceleratam potentiam continuisse notissimum est; atque quin inter

---

ditur de Oedipo Coloneo ante judices recitata, post 401 fabula illa *Δράματα* acta est. fuit igitur Niobus, cujus tempus ita aliquatenus constitutum esset. etiam ex Dramat. incertis fgm. Centauro tum tribuendum esset ultimum. furtum enim vix exprobravit Aristophanes Chaerephonti mortuo. sed ille diem supremum obierat ante Socratem. Plat. apol. 21 B.

severissimi et gravissimi argumenti fabulas fuerit, dubitavit nemo. hic vero comoedia Megaricos expromens jocos expectatur. eadem autem de causa Onerarias illo loco respicere non poterat Aristophanes, cujus de consilio perquam eleganti et singulari modo quaestiones difficillimas certissime dirimente disputatione Bergkii constat[26]). scilicet castigavit sucophantas Cleonis socios ac ministros cum omnino bonis civibus importunos, tum frumento ex Euboea advecto, causis civitatis structis intolerabiles. compositio vero vix potest tota erui; nam lignator ille, qui in silvam proficiscitur fgm. 2 et postea narrat, quid sibi acciderit (fg. 6), ad quem etiam fgm. 7 pertinere videtur, etsi haud exiguas egisse videtur partes, in obscuro latet; nec Dobraei certa est conjectura, qui fgm. 9 ad scaenam similem Equit. 908 refert. divitias autem Onerariis advectas agnovit Bergkius (14—17) quibus cenam addam, qua vix carebat fabula pacem commendans. sed cum vel chorum ignoremus, in medio relinquenda erunt cetera. exitum vero fabulae felicissime explicat frgm. quod nuper ex tenebris eruit Millerus (Mélanges de littérat. Grecque 225). quod ita corrigendum esse patet

βαβαί, Λάκων, ὡς ἀμφοτέρων ἡμῶν πρὶν ἦν
τὰ πράγματ' οἰσυπηρὰ καὶ βαρύσταθμα[27]).

---

[26]) Comic. II, 1113—17. de tempore (Lenaeis 423) dubitari nemo potest; ipse enim satis locuples testis est Aristophanes. Vesp. 1037 sq. praeterea idem docet Argum. Pacis, quandoquidem secundum temporum ordinem fabulae ibi se excipiunt.

[27]) *βαβαὶ Λάκων* Millerus. *βαβελάκων* cod. *ὑμῶν πρίνη* cod. quod correxi.

discimus igitur, Laconem Athenas venisse et cum aliquo Dicaeopolide aut Trygaeo disputasse. mox eos cognosse, pessumdari utriusque patriam per eos, qui „proveniebant oratores novi, stulti adulescentuli“ (12. 13) per gloriosos milites, Martis pistilla (quorum unus clamaverat 22), pacem celeriter factam esse et summo gaudio utriusque urbis explicuisse fabulam, similia exempla, praecipue Lysistratam, animo tenentes, facile perspicimus. quibus disputatis vix quisquam credet, talem fabulam jocis Megaricis locum dare potuisse.

Hac igitur via ad Agricolas devenimus, actam Lenaeis 424[28]). consilium fuisse pacis commendationem, ex fragmentis elucet; habes chorum agricolarum, qui in urbem venerant, sub finem rus redeuntem (fg. 15); habes unum ex eis, quam primarias egisse partes conicias, bellum et negotia fugientem (fg. 1); habes, nisi fallor, eundem puerum aliquem hortantem, ne malorum cupidus sit (7), quae ad belli mala recte rettulit Bergkius; pacis amorem pulcro cantico (8) ostendunt agricolae; recuperata pace exultant (13): ariolamurne, si conicimus, per *γέροντας πρινίνους σφενδαμνίνους* rabulas et sucophantas coactos esse, ut ne paci amplius obsisterent? quam ubi patriae reddiderunt, agricolae urbis pulcritudinem restituunt (14) et dona ruris et arborum afferunt, quae ipsi colunt, quibus ob agrorum vastationem diu

---

28) Cf. Bergk. Comic. II, 984 acta enim est et ante Niciae pacem (42²/₁) nam pax optatur (fg. 8) et post Niciam Cleoni imperium concidentem (fg. 1) i. e. post 425. itaque annis 423 et 422 jam occupatis restant sola Lenaea 424. quae praeterea memorantur personae, satis multae, nihil probant.

caruerant Athanienses; afferunt ficos, Atheniensium delicias, mala punica, papaveris capita (2—4) — nonne etiam juglandes? nonne optime et elegantissime Aristophanes fecit, qui jam eo processit, ut etiam spectatores, Atheniensium populum ipsum participem illarum divitiarum fecit? audacter, quo augeat non modo illusionem sed, quod maxime cupit, pacis studium in animis spectatorum, terminum inter fictam actionem et veritatem transilit, et invento per se Megarico et frigido in modum utitur se ipso dignum. — ecce juglandes.

II.

Fasti comici per annos 430—420.

Cum ipse comoediae Graecae reliquas adirem, quam maxime desiderabam tabellas didascalicas, sine quibus historiam poesis Graecae cognosci non posse probe cognitum jam Aristoteles habebat. non vero didascaliarum veterum fortuna servata frustula colligere satis est, sed quam perfectissima ut delineetur imago, qualis quoque tempore fuerit comoedia, studendum est. cui desiderio ne aut toti aut bene satisfacerem ipse, et vires et doctrina impediebant; tamen operae pretium mihi videbatur, illud ipsum, quo notius nobis nullum est, tractare tempus, cum quod augeri adhuc nota posse confidebam, tum ut exemplum ante oculos poneretur, scientiam nostram quamvis laceram nequaquam talem esse, qualem sibi informasse videntur haud pauci, qui omnes tales conatus ariolationes vocare consuerunt; nesciendo potius quam difficillima, nec nisi a summis recte que adhibeatur, nesciendi arte gloriantes.

Tabellarum rationem hanc esse volui, ut Graeco sermone scriberentur, quae diserte tradita dudum constarent. inter conjecturas certiores incertioresque nisi aliquotiens, ubi dubitationis nota appicta est, discrimen facere nolui. in adnotationibus autem quam brevissimus esse conabor; quod ut ad claritatem necessarium, ita, ubi multo lepidiora atque quibus qualecumque quidem ostentari possit ingenium, praetermittuntur, durum ac difficile certe troni est.

Ante Chr. n.	Olympiade.	ἐπὶ ἄρχοντος.	ludis.			
430	87. 2	Εὐθυδήμου		Hermippus Parcis. Teleclides	Teleclides Hesiodis.	
429	87. 3	Ἐπαμείνονος		Cratinus Nemesi. Hermippus Deis?		
428	87. 4	Ἀπολλοδώρου		Φρύνιχος .... Εὔπολις		
427	88. 1	Διοτίμου		Ἀριστοφάνης Δαιταλεῦσιν (β'). Eupolis Centurionibus.	Cratinus Horis.	
426	88. 2	Εὐκλέους	ἐς Λήναια	Aristophanes Centauro.	Eupolis Capris.	Amipsias Funda.
			ἐν ἄστει	Ἀριστοφάνης Βαβυλωνίοις.		
425	88. 3	Εὐθύνου	ἐς Λήναια	Ἀριστοφάνης Ἀχαρνεῦσιν (α'). Κρατῖνος Χειμαζομένοις (β'). Εὔπολις Νουμηνίαις (γ').		
			ἐν ἄστει	Plato Pisandro?	Hermippus Phormophoris.	
424	88. 4	Στρατοκλέους	ἐς Λήναια	Ἀριστοφάνης Ἱππεῦσιν (α'). Κρατῖνος Σατύροις (β'). Ἀριστομένης Ὑλοφόροις (γ').		
			ἐν ἄστει	Eupolis Amicis. Aristophanes Agricolis.		
423	89. 1	Ἰσάρχου	ἐς Λήναια	Eupolis Imbellibus. Aristophanes Onerariis.	Teleclides ...	
			ἐν ἄστει	Κρατῖνος Πυτίνῃ (α'). Ἀμειψίας Κόννῳ (β'). Ἀριστοφάνης Νεφέλαις (γ').		
422	89. 2	Ἀμεινίου	ἐς Λήναια	Ἀριστοφάνης Προαγῶνι (α'). Ἀριστοφάνης Σφηξίν (β'). Λεύκων Πρέσβεσιν (γ').		
			ἐν ἄστει	Eupolis Aurea Aetate I. Plato Laconibus.		
421	89. 3	Ἀλκαίου	ἐς Λήναια	Εὔπολις Μαρικᾶντι.		
			ἐν ἄστει	Εὔπολις Κόλαξιν (α'). Ἀριστοφάνης Εἰρήνῃ (β'). Λεύκων Φράτορσιν (γ').		
420	89. 4	Ἀριστίωνος	ἐς Λήναια	Φερεκράτης Ἀγρίοις.	Aristophanes Senectute. Plato Victoriis?	
			ἐν ἄστει	Εὔπολις Αὐτολύκῳ.		

Hermippi Parcas (430), statim post primam Spartanorum invasionem scriptam ad hoc annum rettulerunt Meinekius I, 91. II, 396, Bergkius Comment. 318. Milites, quam simillimi fuisse argumenti versus ex Parcis repetiti arguunt, et fortasse non audaciore conjectura *διασκευήν* illius fabulae vocavit Bergk, accuratius vix definies, nisi, quando Athenis fuerint auxilia Abydena, cognoveris. his vero ipsis temporibus scripta est Dei[1]); nam non solum inter Olympios requires *Περικλέα τὸν Ὀλύμπιον*, sed etiam fgm. 3 idem significat tempus, quae enim ibi dicitur sancta fama ut ulculsculum maturum erupisse, viri videtur, qualis fuit Pericles Anaxagorasve. neque profecto alio tempore talis tam obvia fuit comparatio, quam 429, cum „ulceribus quasi inustis omne ruberet corpus", *φλυκταίναις μικραῖς καὶ ἕλκεσιν ἐξηνθηκός*[2]). ceterum me judice aliquid valet Teleclidae fgm. inc. 5, ubi *δοθιῆνος ἔχων τὸ πρόσωπον* de Pericle eodem tempore dicitur. scilicet ex hoc ipso Teleclidam eodem anno fabulam docuisse collegit rectissime Bergkius 331; Aegina enim revertitur, ut par est, eversor Pericles cf. Thuc. II, 27. ejusdem fabulae, cujus nomen non amplius licet certo indagare, idque ex eadem scaena, sunt fgm. inc. 4. 6[3]). quod primus vidit Meinekius, dubitanterque fabulam illam conjecit Hesiodos esse, usus ille ratione maxime incerta, ne dicam

---

[1]) Arbitror in ea Gigantomachiam exhibitam esse, innisus imprimis fg. 5 at pro hujus commentatiunculae consilio talia non persequar.

[2]) Lucret. VI, 1164. Thucyd. II, 49. 5.

[3]) Cf. Sauppium Philol. XX, 174.

futili; nam quod in Hesiodis Pericles Chrysillam Teleae filiam, Jonis Chii amicam amasse tradebatur[4]), nihil docet, nisi Hesiodos probabiliter superstite Pericle scriptam esse; Periclem vero, eumque propter *τυραννίδα*, in ea exagitatum esse, nullo modo placere potest. non certiore conjectura propter fgm. inc. 4. idem Meinekius Hesiodos ca. 443, paullo post Thucydidis Periclisque ultimum certamen, doctam esse conjecit, perinde ac si Pericles initio belli, quod conflasse videbatur, divina potentia uti dici non potuisset. contra 443 Aegina eum rediisse Meinekius non demonstravit. atque Teleclidam jam 443 comoediae operam dedisse non putaverim. scripsit enim quinque vel sex fabulas, neque extant satis firma documenta, eum ante 430 et post 420 chorum accepisse, intra hos terminos quater fortasse demonstrari licet eum docuisse. nam praeter didascalias annorum 430 et 42$^{3}/_{2}$ Amphictyones et Hesiodi huc in censum veniunt. illa enim, etsi accuratius nihil definiri licet, ne ex ea quidem memoria, post Cratetis Feras (non ante, ut calami lapsu apud Meinekium extat) ante Nicomachi (Ps. Pherecratis) *Μεταλλέας* eam actam esse[5]), propter Diopithae mentionem post Anaxagorae accusa-

---

[4]) Permira est Welckeri ratio griech. trag. III, 941 anm. 6. Chrysillae amorem in Pericle *χρυσοῦ* esse amorem. cui ipse obstat Athenaeus.

[5]) Athen. VI, 268 E. data occasione non reticeam, me offendere fgm. 4 in verbis *λῷστοι σεῖσαι καὶ προςκαλέσασθαι.* nam *λῷστος* cum infinitivo non solum insolenter sed nisi fallor contra vocabuli stricte servandam notionem dictum videtur. quare nescio an in corruptissimo fragmento scribendum sit *ῥᾷστοι.*

tionem videtur composita[6]). Hesiodi autem, quamquam supra eam ab ista fgm. inc. 4—6 fabula discernebamus, a qua etiam, si frustulis fides, argumentum erit alienum, casu fit, ut ad paene idem tempus referenda nobis videatur. illo tempore certe Jon Athenis versabatur[7]) 440 Chii erat, nec paullum temporis eum in patria moratum esse, fortasse ex Epidemiis concludendum est. in amore Chrysillae, cui deditos Periclem Jonemque faciebat Teleclides sub vesperum vitae, nemo, opinor, offendet. sed nec hoc probabit quidquam, nec Philoclis[8]) Proxenidisve mentio. at Nothippi, poetae tragici gulositate infamis. etenim persuasi mihi, non diversum eum esse a Gnesippo, tragico et hilarodo, libidinoso homine[9]). Hermippus enim Parc. 3, ait:

εἰ δ᾽ ἦν τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων τῶν νῦν τοιόνδε μάχεσθαι,
καὶ βατὶς αὐτῶν ἡγεῖτ᾽ ὀπτὴ μεγάλη καὶ πλευρὸν ὕειον,
τοὺς μὲν ἄρ᾽ ἄλλους οἰκουρεῖν χρῆν, πέμπειν δὲ Νόθιππον ἕν᾽ ὄντα
εἷς γὰρ μόνος ὢν κατεβρόχθισεν ἂν τὴν Πελοπόννησον ἅπασαν

ὅτι δὲ οὗτος ἦν ὁ ποιητής, σαφῶς παρίστησι Τηλεκλείδης

---

6) Cf. praeter Lobeck, Aglaoph. 981, quem laudavit Meinekius, Droysen, Mus. Rhen. III, 180.

7) Euripid. Hippol. argum.

8) quamquam enim 411 superstes est (Arist. Thesm. 168) filiorum pater est adultorum 421 (Arist. Pac. 801 sq.).

9) Cf. Athen. XIV, 638. Meineke ad Cratin Bubulc. 2. Bergk, Comment. 32. Welcker, gr. tr. 1024. 28.

Ἡσιόδοις addit Athenaeus; quem de Nothippo plura non cognita habuisse apparet. versus primus corruptus habetur, sed bene intellegitur, modo interpreteris: si tale hodiernum esset genus (quale v. c. *Μαραθωνομάχων*) et hostes essent edulia, unus ad delendos Peleponnesios sufficeret Nothippus. nempe significat Gnesippum[10]), sed ne *γνησίῳ* quidem eo opus est, illa mirabilia facinora perficeret jam *νόθος*. quo convicio usus est Teleclides acerbe poeticam Gnesippi perstringens virtutem; non enim eum genuinos edere partus, sed *νυκτερίν' εὗρε μοιχοῖς ἀείσματ' ἐκκαλεῖσθαι γυναῖκας*. quae conjectura, quam per se satis commendari arbitror, sustentatur eo, quod praeter illos comicorum locos nihil de Nothippo jam veteribus constitisse videtur. talem vero joci imitationem nisi in paene coaetaneis fabulis fuisse non posse, perspicuum est; uter utrum expresserit, certo non definiam. at salsior jocus et, ut ita dicam, natura joci suadere videtur, ut Hesiodi Parcas excepisse putentur. quare in tabulam referre non dubitabam.

Cratini Nemesim unam ex ingeniosissimis comoediis, contra Periclem scriptam esse, nude pronuntiavit Bergkius Comment. 130 *σύστασις τῶν πραγμάτων* ex Cypriis festive *πεπαρῳδημένη* clarissima est. sed quo modo institutum sit, ut Juppiter in palude Rhamnusia cum Nemesi concumbens Pericles fuerit, aegre intellegitur. tamen diserte a Plutarcho traditum est Jovem Capitolinum et Hospitalem, qui egredi jubetur fgm. 10,

---

[10]) Oblique tangens fortasse originem eius. si eius Cleomachi filius erat, quem cinaedi puellam amasse narrat Strabo XIV, 698 at fuerit pater hominis ionicis a majore usi.

esse Perislem; ludique in ambiguitate Capitolini et Capitonis. ξένιον autem referendum esse ad amicitiam, qua cum peregrinis Pericles junctus erat, velut Damone, Protagora, Anaxagora, Sauppio non possum concedere. suspicor enim, aculeum ei cognomini inesse multo acriorem. Atheniensium enim pube per pestem deleta Pericles legem tulit, qua filiis, a ξέναις natis concedebatur civitas; quod malignitas Atheniensium eum fecisse voluit, ut filio, quem ex Aspasia habebat, post Xanthippi Paralique mortem, hereditatem servaret[11]. quo si respexit Cratinus, tempus fabulae constitutum est. atque etiam si hoc respuis, bello Peloponnesiaco jam exorto scriptam esse fabulam, qua sine dubio Lacedaemon ridebatur, conicies, ut non plus duobus annis ante quam supra posita sit, acta esse possit. Nemesis autem quin Aspasia fuerit, fieri non potest, quando quidem Juppiter Pericles fuit[12].

Cratini Horarum natalem accurate non poteram eruere. atque argumentum quoque etiam post Welckeri[13], quae recte Meinekius vocat, μουσοδονήματα obscurissimum est. at Hyperboli νέον προςελθόντος τῷ βήματι

---

11) Plutarch. Pericl. 37. Curtius, griech. gesch. II, 335. Aelian fg. 68 apud Suidam s. v. δημοποίητος.

12) Legum fg. 6 οὐκ ἀπερρήσεις σὺ θᾶττον; ἀποτιλῶ σε τήμερον, verba ad gallum sive gallinam, ut Porsonus ait, ex Nemesi sumptum esse, miror me, ut videtur, intellexisse primum. nam semel monitus non dubitabit alicuius ad transformatam Nemesim aut Nemesis ad Jovem cygnum minas agnoscere. possint etiam duorum personarum esse ἀντιλαβαί. error in titulis Νόμοις et Νεμέσει obvius erat.

13) „Prodikos von Keos" in klein. Schrift. II, pag. 474—476.

mentio (14) hoc certe probat. Hyperbolus enim, cujus, nisi egregie fallor, ante 425 (Arist. Acharn. 846) nulla memoria invenitur, paucis quidem annis ante rem publicam capessere poterat, sed eum Pericle imperitante aliquid conatum esse, non credibile est. reliqua fragmenta certi nihil mihi praebuerunt; cur vero 428 ex serie annorum, quibus adscribi didascalia Horarum possit, exemerim, melius patefiet infra. ceterum ex Cratini comoediis, quamquam plurimas ante bellum scriptas esse probe intellexit (comment. 185) Deliades victoriam reportasse conjecit Dionysiis 424 Bergkius. quod si accipimus, multa lucramur; reputatis enim eis, quae hac disputatione demonstrare conor, elucet, tum Dionysiis 424 primas tulisse Cratinum secundas Eupolin tertias Aristophanem, Hermippi vero Phormophoros tantum Dionysiis 425 doceri potuisse; at sententia illa, quamquam ad eam stabiliendam doctrinam ingeniumque sparsit *ὅλῳ τῷ θυλάκῳ,* si ad vivum resecas, uno nititur titulo; ut equidem tamquam veram aut veri similem noluerim sequi.

Fragmentum didascaliae alterius utrius anni 428 debetur anonymo de comoedia III, qui Eupolidis primam comoediam indicat. cur additum sit *ἐφ᾽ οὗ καὶ Φρύνιχος* difficile dictu est; neque certum inde colligi potest, nisi docuisse fabulam aliquam eisdem ludis etiam Phrynichum. nam siquis ita volt interpretari, ut Phrynichi quoque primam eo anno prodiisse fabulam tradat, opus est corrigatur Suidas, qui Phrynichum *ἐπὶ τῆς πϛ´ Ὀλυμπιάδος* docere coepisse ait, donec congruat; quo nihil quidem facilius, at nihil vilius est. alia enim

testimonia desunt; tantum quod Hermippus Phormoph. 7 furti insimulat Phrynichum, quem postea Amipsiae fabulas concessisse agendas veluti *Κόννον Κωμαστάς* verisimile est; at quid inde consequitur, quam plures fabulas ante 425 a Phrynicho doctas esse, quod per se patebat? neque quidquam id efficiet, quod 406 superstes erat. at etiam servata Suidae lectione facile cogitari potest, verba anonymi optimi ab excerptoribus mutilata et in brevius contracta esse. quid enim, si fuit olim *ἐφ' οὗ ἐνίκησε Φρύνιχος*. sed quaecumque eliciuntur, quibus in construenda comoediae historia utaris, non possunt firmari. Eupolidis autem primum partum adeo ignoramus, ut equidem mihi persuaserim, inter eas illam fuisse fabulam, quas, cum nec Atheniensibus nec sibi satisfacerent, abolevit poeta, quo modo *Νουμηνίαι* interierunt, aut retractavit ita, ut prior omnino in oblivionem veniret editio[14]). etenim si rationem habes eorum, quae infra disputabuntur, nullius Eupolideae fabulae non nota est aliquatenus aetas praeter Prospaltios. at ea quoque, cum Aristophanes[15]) Nub. II (417) laudata unius versus particula eam possit significare, quod in fabula plus decem annis ante docta vix crediderim facere eum potuisse, adscribenda erit annis 419-6. ubi eius comoediae desiderantur; nam solae Pagi et Urbes illi tempori adscribi possunt, quod mirabuntur,

---

[14]) Quod malo propter incerti scriptoris verba apud Suidam s. v. *διασκευάζειν. Εὔπολις ἔγραψε τόσα καὶ ἄλλα διασκευάσας.*

[15]) Arbitror enim, neque hoc primus, Aristophanem Nub. 543 Prospalt. 3 tangere.

probabilitatemque Prospaltiorum illi aetati attribuendae valde eo augeri concedent, opinor, omnes.

At quem recte posuit Meinekius terminum, post quem Centuriones Eupolidis doceri non potuissent, certissimum est ipsum fabulae tempus esse. quod ut eluceat, opus est paucis de morte Phormionis agere, quem Bacchi stipendia merentis magistrum, Bacchi ope capitis deminutione liberatum induxeret Eupolis, quod egregie cognoverunt Meinekius et Boeckhius[16]). quae de Phormione huc spectantia narrantur, haec sunt. 429 bis in mari Corinthio vincit Peloponnesios; hiemali expeditione frustra oppugnat Oeniadas; primo vere 428 Athenas redit. mox legati Acarnanium veniunt expetituri ducem ex gente Phormionis, unde apparet eum ipsis primis anni 428 obiisse mensibus. Asopius autem, filius Phormionis, praefectus Atheniensibus mittitur ad Acarnanes. sed eodem anno victus ad Nericum occumbit. haec Thucydides. altera narratio, quam bene Androtio, male Pausanias prodit, haec est; Phormio, dux nobilis ἐν εὐθύνῃ damnatus, cum multam pendere non posset, in agros paternos se recipit; cum vero Acarnanes ducem sibi eum mitti rogarent, populus Atheniensis singulari modo ἀτιμίας eum solvit. haec jungenda esse Boeckhius negat, duas igitur statuat oportet Acarnanium legationes, alteram ante bellum 429, alteram vere 428. quod non credo. primum enim memorabile est,

---

16) Thuc. II, 83 sqq. 103. III, 17. Androtio. Atthid. III apud schol. Arist. Pac. 347. Pausan. I, 23. 12. Boeckh apud Meinek. II, 527. Statshaush. I², 515. III addend. V sq. Meinek. hist. crit. 143 sq. Curtius, griech. gesch. II, 347 sq. Bergk, Com. II, 977 sq.

et Androtionem et Pausaniam ante *εὔθυναν* funestam Phormioni nosse victorias ab eo reportatas, post vero non, tamen clarissimus erat, vel potius unice clarus ob navales anni 429 pugnas, quae si secutae essent legationem illam, dubitari vix potest, quin illi addituri fuerint. deinde non intellegitur, cur Phormionem potissimum arcessiverint $4^{30}/_{29}$ Acarnanes, bene intellegitur, cur post egregiam sibi latam 429 opem, eundem expetiisse putentur. denique Boeckhium si sequimur et causa damnationis ignoratur, et satis neglegens est dux Phormio, qui illo ipso tempore, quo socii minime auxilio Atheniensium carere poterant, domum quam primum redit. contra haec omnia bene illustrantur, si ponimus, Athenienses iratos ob hiemalis expeditionis difficultates et cladem ad Oeniadas acceptam et revocasse Phormionem et damnasse. quare ita potius illa fuisse arbitror. Phormio post victorias celeberrimas propter unam ad Oeniadas cladem damnatur, *ἄτιμος* factus propter paupertatem, rus recedit in pagum Paeaniam. quod factum ca. mense Martio aut Aprili anni 428. mox senio, bello, maerore confectus diem obit supremam. paene eodem tempore Athenas mittunt Acarnanes, qui Phormionem aut eo mortuo cognatum certe ejus arcessant. interim misericordia in Atheniensium animis, ut par erat, nata erat. quare hac occasione data et Asopius filius Phormionis, *ἀτιμία*, quae in eum transierat, solvitur et memoria ducis clarissimi restituitur; quod non minimam partem Eupolidis nobilissima fabula factum videtur. cur vero is non Asopium et ignotum hominem et infeliciter gesta re publica occisum, sed ipsum Phor-

mionem Bacchi ope capitis deminutione liberari fecerit, per se apertum est. quo exemplo dato per se facillimus nasci poterat Androtionis error[17]). quibus valde probabiliter, ut mihi videtur, disputatis tempus Centurionum jam est constitutum. cum enim 428 nondum doceri potuerit, vix enim tum ex Acarnania redierat Phormio, 426 non amplius, certissimum est, illa fabula, summa quae in posterum florebat gloria[18]), decertasse

---

17) Coniciat quispiam, Phormionem ipsum quidem capitis deminutione esse solutum, sed antequam legati aut venerint, aut redierint, obiisse. sed alteri tempus, utiuti rem dirimis, breve, alteri Thucydides obstat. si enim illi Phormionem superstitem expetissent, Thucydides de eo silere non poterat.

18) Nam non solum Phormio, severae disciplinae militaris exemplum, sed vel *στιβάς Φορμίωνος* in proverbium abiit. Aristoph. Equit. 562. Pac. 348. Lysit. 804. Nub. I, 4. multo vero memorabilius, ipsum Aristophanem Eupolidis imitatum esse inventum in Babyloniis 16. 17 ubi cf. Bergk. ad Babylonios referam versus apud Zonar. II, 1366 post Meineki Cobetique curas ita munde scribendos

ὁ Φορμίων τρεῖς ἀργυροῦς στήσειν ἔφη
τρίποδας, ἔπειτ' ἀνέθηκεν ἕνα μολύβδινον.

aperte agitur de sacro votivo, quod susceperat Phormio, et aliter solvit, aliter in tabulis publicis accepti relati referebatur. mire de antiquo Crotoniata Phormione cogitat Meinekius Com. II, 1230 sunt vero ex fabula non fusius repraesentante, sed oblique tangente res Phormionis, qualis Babylonii fuit. versus apud Zonaram praecedens, qui Cratini est,

φαίνεσθαι χρυσῆν· κατ' ἀγροὺς δ' αὖθις αὖ μολυβδίνην

eandem rem tangere videtur aliter enarratam, in quo confirmat me *κατ' ἀγρούς*. nam ruri degisse Phormionem non obliviscuntur. nec Androtio nec Pausanias. ergo Cratinus rem illam tetigit,

Eupolin eodem anno, quo Aristophanes prima sua Epulonibus secundas tulit[19]) Lenaeis an Dionysiis, conjunctim an diversis ludis actae sint Centuriones Epulonesque dijudicare nequeo. Anno 426, quo Aristophanes Babylonios docuit et Centaurum[20]) inter Eupolideas Capras tribui, item nobilissimam, quam ante 424 actam esse propter Hipponici apud Delium occisi mentionem (19) vidit Meinekius. 428 doceri nondum poterat propter Phaeacis mentionem, admodum adulescentuli 424[21]), quod vero 426 puto Capras doctam esse, feci ratus, quod in simili occasione bene posuit Bergki sequendum esse, potius unam quoque anno docuisse poetas fabulam, quam uno anno siluisse, altero bis chorum nactos esse. — De Amipsiae Funda egit Meinekius hist. crit. 204.

Dionysiis anni 425 quamvis dubitanter dedi Platonis Pisandrum, minus rationibus severis et invictis coactus, quam libenter manus dans eloquentiae et acumini Cobeti. Obs. in Plat. 134. Hermippi Phomophoros post 424 doceri non potuisse vidit Meinekius h. c. 92 videtur autem acta esse aut 425 aut 424.

---

sine dubio Horis, in quibus Bacchus non minus persona erat. hinc aliquid de tempore illius fabulae sequitur.

19) Schol. Nub. 529. Fritzsch de Daetal. 7 sq. quae ille scripsit pag. 9 post ea, quae pag. 15 disputari, nihil me morantur.

20) De Babyloniis cf. quae attuli cap. I adn. 21. de Centauro pag. 14 sqq.

21) Arist. Equit. 1177 cum adn. Kocki. diligentissime de Phaeace egit Meierus opusc. I, 145 *ἐν Φαίακος* fortasse non solum in aedibus Phaeacis; sed simul de eius *ἑταιρίᾳ* cogitandum. Plut. Alcib. 13.

illo enim tempore Corcyraei se lacerarunt funestis tumultibus Thuc. III, 70 sq. 81 sq. eodem tempore Athenas auxilia a Sitalce venerant, non quidem egregia. Aristoph. Acharn. 134 sqq. atque Perdiccas, qui foedus cum Atheniensibus intraverat 432 necdum apertum eis intulerat bellum, seditionem parabat, quae erupit Bradisa Chalcidicen aggresso. Thuc. II, 29. 95 sqq. IV, 79. ad haec vero respicit Hermippus Phormoph. 1. de Aristophanis Agricolis et Onerariis supra diligentius locutus sum[22]).

De Amicis Eupolidis disputatio, quippe cum aliis conjuncta et partem numquam tactam chronologiae scaeniae[23]) movens, altius repetenda est. proficiscamur a parabasi Pacis, cujus haec est summa: qui se ipsum laudat, molestus est; tamen dignissimus laude Aristophanes sibi videtur, primum enim ipse comoediam, quae in pusillis et frigidis argumentis versabatur, ad altiorem evexit volatum. scilicet non de trivio homines aggressus est, sed ipsum Cleonem. quare sibi victoriam deferendam esse censet, qui priore fortuna non abusus sit, sed summa modestia tulerit summam gloriam. haec per

---

[22]) de Onerariis cap. I adn. 26 de Agricolis adn. 28.

[23]) Fritzschius quidem ad Arist. ran. pag. 915 sq. fgm. 2 ita correxit, ut inde de tempore conjecturam facere liceret. sed potius depravavit; finxit enim sibi, quae vellet et male finxit, nam primum *σχιστάς* dicit Atticum calceamentum, quod unde sumpserit nescio, deinde scissas et viles dicit, atqui falsus est, sunt enim eaedem, ut Argivae, de quibus Alberti ad Hesych. s. v. teste Polluce VII, 85 *πολυτελές ὑπόδημα καὶ θρυπτικόν.* quare inventum eius repudiandum est. ceterum locus inter concla-

se plana et aequa[24]). animum autem attendamus ad vs. 762

καὶ γὰρ πρότερον πράξας κατὰ νοῦν οὐχὶ παλαίστρας περινοστῶν
παῖδας ἐπείρων, ἀλλ' ἀράμενος τὴν σκευὴν εὐθὺς ἐχώρουν κ. τ. ἑ.

matos habetur, primus versus bene post Cobeti Herwerdenique emendationes scribitur

οὐ δεινὰ ταῦτα δή 'στιν Ἀργείας φορεῖν
σχιστάς

at sequitur *ἐνεργεῖν*, de quo desperant omnes. id vero certum videtur latere nomen illius, qui *σχισταῖς Ἀργείαις* utebatur. ac nescio, an ipsum illud *ενεργειν* leviter in *Ἐνέργη* mutatum sufficiat. *Ἐνέργης* enim ut *Περιάλγης Περιήρης Αἰρησιτείχης* personae nomen bene esse poterat.

[24]) Confisi sunt scholio 741 *αἰνίττεται δὲ εἰς Εὔπολιν, ὃς ἐποίησεν Ἡρακλέα πεινῶντα καὶ Διόνυσον δειλὸν καὶ Δία μοιχὸν καὶ δοῦλον κλαίοντα. τινὲς δέ φασιν εἰς κρατῖνον αἰνίττεσθαι ὡς τοιαῦτα ποιοῦντα δράματα.* at ex tota verborum Aristophanis conformatione elucet, non certas fabulas respici, sed statum scaenae comicae, qualem invenit Aristophanes, describi. quod fortasse inde quoque conspicitur, quod scholiastae dubitarunt, Eupolidis Cratinine significarentur fabulae; alii recte senserunt, nihil certi hic Aristophanem notare, *ἐπεπόλαζε δὲ ταῦτα τὰ λήμματα, καὶ αὐτὸς ὁ Ἀριστοφάνης ὡς γαστρίμαργον τὸν Ἡρακλέα κωμῳδοῖ καὶ ἐν Ὄρνισιν καὶ ἐν Αἰολοσίκωνι. καὶ ἐν Σφηξὶ περὶ τούτων φησὶ τοῦ τε Ἡρακλέους καὶ τοῦ δούλου. ἐπεπόλαζε γὰρ τότε ταῦτα Ἡρακλῆς πεινῶν καὶ Διόνυσος δειλὸς καὶ Ζεὺς μοιχός.* memorabile autem praeter illa, quae apud Aristophanem memorantur, bis hic nominari Jovem adulterum et Bacchum timidum. quae unde venerint, valde dubium. speciosa quidem est C. Roberti, amici mei conjectura, intercidisse eorum apud Aristophanem mentionem. tamen cum eo consentire non possum; primum enim per se neque abjecta neque de trivio sunt argumenta Bacchus et Juppiter, deinde

schol. V et deterior *ὡς τῶν ἄλλων ἐξιόντων καὶ δεομένων τῶν παίδων* (*καὶ τῶν νέων καὶ τῶν παίδων* vulg. *δεομ. τῶν νέων* V. quo duce delevi dittographiam) *εἰς τὸ σπουδάζειν αὐτοῖς, ἵνα νικήσωσιν.* vides operas thea-

---

Hercules et servi in universum dicti sunt de ineptis argumentis, certa enim non possunt significari nisi addita certiore aliqua nota, ubi tam volgaria attinguntur (743—45 certam re vera videntur notare fabulam) at Bacchus et Juppiter in universum dici nequeunt; non enim volgo in scaena conspiciuntur. ita, si ea inessent, turbatus esset ordo et periisset sententiae claritas. mihi potius ex uberiore commentario superesse illa videntur, atque quod et Cratino et Eupolidi adscribuntur talia argumenta, concludo, Didymum aut alium quendam doctissimum ad hunc locum haec fere adscripsisse: nam eo tempore in scaena saepe eadem spectabantur, ita Bacchi ignavitas aut furta Jovis, Aristophanes autem hic eadem vituperat, quae in Vespis, maxime volgaria Herculem et servos. addiderit autem testimonia quoque, nam re vera et Eupolis et Cratinus et Jovem et Bacchum induxerant, ille Centurionibus et Aurea Aetate (19. 20) hic Horis et Nemesi Chironibusque et de Bacchi figura plura dici possunt. haec mihi veri similia videntur; sed tantum abest, ut difficultates amotas putem, ut potius altior inquisitio incohanda videatur. doctrinam vero uberiorem antiquitus hoc loco traditam fuisse, quamvis corruptum docet scholium, quod in Ravennate etiam extat. *ὥστε καὶ αὐτοὺς ἄχθεσθαι. Κρατῖνος.* sequitur fgm. inc. 152. quod vereor, ne impudentis videatur, conjectura temptare, cum summi vici de eo desperaverint. paullo vero rectius scriptum extat in R. *ὑπὸ δ' Ἡρακλέους πεινῶντος ἄγει καὶ σκώπτοντος ταῦτα οὐ βοιωτόν ἐστιν.* metrum enim, de quo Porsonus dubitavit, jam aperte anapaesticum est. temptabam:

ὑπὸ δ' Ἡρακλέας
πεινῶντας ἄγειν καὶ κάπτοντας
ταῦτ' οὐ βοιώτιόν ἐστιν;

qua conjectura, nisi fallor, tolerabilis et sententia et dictio ne-

trales; quasi ante non post victoriam pueros corrumpi diceret Aristophanes! satis bene verba poetae explicat schol. nunc ad vs. 764 adscriptum; at lucis aliquid id solum affert, quod Ravennas quoque habet, ita scriptum *εἰώθασι παιδεραστεῖν ἁβρυνόμενοι τῇ νίκῃ. αἰνίττεται δὲ εἰς Εὔπολιν.* futile, quod alii codices praebent, additamentum describere taedet. oblique his versibus aliquem tangi, qui ut libidinibus satis fieret, victoria abusus erat, etiam sine scholii ope cognosci licebat; nam Aristophani si illud objectum esset, non ita id refellere posset simpliciter negando. atque inter se aliumque comicum quid intersit, tota parabasi videtur ostendere velle. nam in aemulum poetam sine dubio primi scripti sunt versus

χρῆν μὲν τύπτειν τοὺς ῥαβδούχους, εἴτις κωμῳδοποιητής
αὑτὸν ἐπῄνει πρὸς τὸ θέατρον παραβὰς ἐν τοῖς ἀναπαίστοις.

et non numquam comparare suam aliusque videtur poesin; quem Eupolin esse per scholium illud discimus. atque eundem in *πνίγει* respici, ubi tangit ipsius calvitiem Aristophanes, recte vidit Welckerus[25]). concludendum

---

que ea violenter efficitur. at multa sunt, quae ad majorem alliciant audaciam, et lubricus fortasse semper erit locus. ceterum in universum de hoc scholio recte sensit Halbertsma pros. Aristoph. 48.

[25]) In elegantissima dissertatione de imaginibus Aristophanis et Menandri (alt. denkm. V. 43 sqq. — quamquam ille cum ceteris fallitur eo, quod Eupolidis convicia ad Baptor. 16 refert, scilicet Baptae 415 docta est. respicit eodem atque in Pace Aristophanes etiam Nub. 542 ubi sine ullo dubio Eupolis tangitur.

igitur est: Eupolis ante Pacem victoriam reportaverat splendidissimam, qua et ad puerorum gratiam sibi conciliandam usus erat, et in alius fabulae parabasi imprudenter gloriatus erat, illudens simul Aristophani calvo. altera fabula quae fuerit, certis testimoniis constat; Maricas, acta Lenaeis 421[26]). Maricantis igitur parabasis haud dissimilis fuisse putanda est ipsi Pacis parabasi; scilicet ibi Eupolis suam efferebat gloriam, Aristophanem despiciebat et ludibrio habebat.

Jam possumus difficillimam adire Vesparum parabasin. cujus qui partem posteriorem spuriam esse pronuntiavit, Harmakerus eis usus est rationibus, quibus qui respondeat, tempus terat. delendus vero est Cobeto auctore vs. 1029, corruptus omnium secundum judicium, misere consarcinatus ex Pacis parabasis pannis, sensu cassus, contextum orationis, quae *προαγωγοῖς Μούσαις* *Ἡρακλέους ὀργήν* opponit, violans; denique iterum indicat terminum a quo ipse docuerit Aristophanes, tamquam si 1020. 21 omnino scripti non essent. quo sublato hanc fere parabasis discribamus summam, simillimae quidem Pacis parabasi, aliter tamen multis in rebus conformatam. in Vespis enim queritur, in Pace gloriatur, hic quam indignus sit cladibus, illic quam dignus sit victoriis, exponit. hic antem merita sua enumerando

---

[26]) Evicit hoc Cobetus Obs. in Plat. 145[1]) contra Meinekii aliorum errores ex schol. Nub. 592. quod Clinto eidem anno Maricantem tribuit, satis volgari, neque quo Clinto ubivis careat, errori fortasse tribuendum est, quo Olympiadum rationes secuti uno anno prius, quam oportet, fabularum tempora constituere solent.

historiam propriae poesis, ut ita dicam, adumbrat, primum se fabulas suas aliis tradidisse (Epulon.-Acharnens.) deinde in summum certamen descendentem et postea victoria splendida potitum superbia se non fuisse inflatum 1025:

οὐδὲ παλαίστρας περικωμάζειν πειρῶν[27]) *οὐδ' εἴ τις ἐραστής,*
κωμῳδεῖσθαι παιδίχ' ἑαυτοῦ μισῶν, ἔσπευδε[28]) *πρὸς αὐτόν*
οὐδενὶ πώποτέ φησι πιθέσθαι, γνώμην τιν' ἔχων ἐπιεικῆ,
ἵνα τὰς Μούσας, αἷσιν χρῆται, μὴ προαγωγοὺς ἀποφήνῃ.

sed ingentes pro civibus decertasse pugnas et contra Cleonem (Equit.) et contra sucophantas (Oner.). tamen nuper se ab Atheniensibus proditum esse, cum novam viam intravisset (Nub.).

Omnia dilucida sunt praeter illa, quae excripsi, verba, neglecta illa quidem plus justo ab interpretibus.

Apparet, duo esse, quae significet Aristophanes, quorum utrumque continetur enuntiato ab *οὐδὲ* incipiente. videamus alterum. paraphrasi verborum *εἴτις* — *πιθέσθαι* praemissa, scholia etiam in R. V. haec habent

τοῦτο δι' Εὔπολιν. ἐν Αὐτολύκῳ δὲ τοιαῦτά φησιν. περιῄει τὰς παλαίστρας σεμνυνόμενος καὶ τοῖς παισὶν ἑαυτὸν δῆλον ποιῶν τῆς νίκης

in duas dispescui partes, quia scholia codicum praeter R. V. interponunt *τοῦτο δὲ καὶ ἐν Εἰρήνῃ οὕτω.* quod

---

27) Sic correxit Brunckius, legitque ita schol. *περιών* codd.

28) Sic volgo legitur secundum deteriores. *ἔσπευσε* R. V.

aperte demonstrare videtur, separanda esse scholia diversa. videntur autem verba deteriorum codicum bonae notae esse et cum *περιῄει κ. τ. ἑ.* jungenda. qui enim illud scripsit, respexit sine dubio Pacis versum supra tractatum. quoniam vero inter se permixta sunt scholia 1025 et sequentis enuntiati, per se non patet, quo Eupolidis Autolyci referenda sit memoria. ad utrumque, si audis Meinekium. Comic. II. 445: „negat Aristophanes, se umquam palaestras obiisse pueros tentantem, nec si quis amator ad se accesserit, amores suos perstringi indigne ferens, ulli umquam morem gessisse". at haec duo diversissima sunt, neque quid dixerit Eupolis, inde colligi potest, nam si fingis Eupolidem haec fere voluisse: tu et ipse pueros temptas et amatoribus morem geris iratis; incurrit utrumque difficultati mox aperiendae. viam autem, quae multos allicere possit, monstravit Richterus, profectus, ut videtur, a verbis, uti in R. V. extant. fortasse enim verba ipsa ibi subesse Eupolidis ait. ac profecto, ultro se offerunt anapaesti:

τὰς δὲ παλαιστρὰς σεμνυνόμενος περιῄει
καὶ τοῖς παισὶν δῆλον ἑαυτὸν τῆς νίκης οὕνεκ᾽ ἐποίει.

tamen hac via ad ineptias deferimur. nam ante Vespas Eupolis Aristophani puerorum amores objecisse tum utique putandus est; putandus est idem repetivisse ante Pacem; non enim nisi iterum lacessitus, pluribus idem tetigisset Aristophanes. denique in Autolyco tertium ad idem redit Eupolis, at quibus versibus redit, quam mitibus, quam languidis. miraculum factum est, repetendo diminuta non aucta injuria. scilicet Autolycus I acta est 420 (Athen. V. 216 D.) sed vel summus Meinekius, qui

Aristophanem ad Autolycum non potuisse respicere intellexit primus, probabile ratus est, tale quid ibi ab Eupolide Aristophani exprobratum esse. at etiam Aristophanes ineptissimus fit, si opprobrio Eupolidis nihil potest opponere, nisi „non feci, profecto non feci", ut puer ludi magistrum male celans delicta. denique haec bella interpretatio pessumdat locum Pacis, reicit illius scholiastae adnotationem nullis causis, mera libidine. certissimum enim est, eandem esse utriusque loci vim; at ita concludendum erat, certissima Pacis interpretatione de Vespis etiam profligari ambages. itaque illa scholiastae verba metri vinculis solvamus; verba *τοῦτο δι᾽ Εὔπολιν — ταῦτά φησιν* ad insequens enuntiatum referamus; nec latet causa erroris, scilicet etiam 1025 in Eupolidem scriptum est, et olim schol. illius versus incipiebat *τοῦτο δι᾽ Εὔπολιν. περιῄει γάρ κ. τ. ἑ.*, sequentium versuum vero non minus recte *τοῦτο δι᾽ Εὔπολιν. ἐν Αὐτολύκῳ κ. τ. ἑ.* quae coaluerunt. nos vero vs. 1023 — 25 ita intellegamus, ut parabasin Pacis in nuce, ut aiunt, contineant. „ego modestus sum poeta, ego non ut Eupolis victor me ipsum digito monstro, non ad flagitia utor victoria". itaque intentior illorum locorum contemplatio haec nos docet de principum comoediae simultatibus. amicitia, qua Eupolis cum Aristophane junctus erat etiam Lenaeis 424, cum in Equitum compositione eum juvaret, mox soluta et in acerrimum odium conversa est. sub idem tempus Eupolis victoriam reportavit, contra Aristophani non prospere cessit Nubes, neque ut videtur vicit Onerariis, quod sine dubio ipsa Vesparam parabasi non reticuisset. jam Lenaeis 422

Aristophanes Eupolidi obicit, quod non modestus sit, quod turpi amori deditus. non decertabat illis ludis Eupolis; vincebat Aristophanes; sed mox Eupolis iterum vincit, eoque magis suas laudes effert, despiciens et deridens calvum inimicum, Aristophanes vero cum ipso in certamen descendit Liberalibus 421 et parabasin tecte quidem neque nominato adversario — ut patefiat, quam nota illa fuerint Atheniensibus — in Eupolidem scribit, auctumque illud repetit convicium, ipsius modestia cum istius jactatione comparata. ceterum rursus fortuna blande risit Eupolidi. Adulatores enim vicerunt Pacem, et proximo anno frigidum colossum in Autolyci parabasi ridere poterat (19).

Jam ad alteram partem loci Vesparum nos conferamus; ad quam rettulimus *τοῦτο δι' Εὔπολιν, ἐν Αὐτολύκῳ δὲ τοιαῦτά φησιν.*

verba *οὐδενὶ — πιθέσθαι* ut unice ferri possunt, explicat scholiasta: *οὐδὲ εἴ προςῆλθεν αὐτῷ τις ἐξώλης, ἀναστραφεὶς καὶ δεόμενος μὴ κωμῳδεῖσθαι, ἐμαλάττετο καὶ ἐπείθετο.* vide etiam Meinekii versionem supra allatam. censendus igitur est Eupolis illa ipsa Aristophani objecisse: tu non aggressus es pueros delicatos, amatoribus morem gerens[29]). haec plana et perspicua essent, nisi accederent, quibus causa indicatur, qua refellatur Eupolis; ut decet poetam, quid dico, hominem non prorsus stolidum opprobria non solum pueriliter

---

29) Unus haec aliter intellexit Droysenius, qui *παιδικά μισῶν κωμῳδεῖσθαι ἔσπευδε* jungit. at hoc vel verborum collocatio impedit. at vitabat certe Scyllae incursurus Charybdin ineptiarum, quae proximis verbis volgo insunt.

negare. ad quae scholium hoc τας Μούσας || τουτέστι τὰ δράματα· εἰ γὰρ μὴ καταδήλους ποιήσῃ τοὺς τοιούτους, ἀλλ' ἐπικρύψῃ, οἱονεὶ μαστρωποὶ τῶν τοιούτων εὑρεθήσονται. secuti hoc esse videntur plurimi. at sunt nugae merae. ubi enim sunt, quas in exoletos scripsit Aristophanes, fabulae? ubi sunt, quibus Autolyci, Demi, Alcibiades, totus Θηλυδρίων χορός (Liban. XIX. 500 D.) vellicantur? at ut fuerit, deliratne Eupolis, qui Aristophani opprobriis vertat, quod non fecerit id, quod fecit? delirat vero etiam Aristophanes, nam, ut mittam, qui possit dici ἐπιεικῆ γνώμην ἔχων, qui foedos amores idque more comoediae antiquae decantet[30]); (cogita modo, quid apud philosophos sit ἀνὴρ ἐπιεικής) quale est illud dicendi genus et sentiendi, quo ille, qui puerorum amores non tangit, προαγωγῷ Μούσῃ uti dici potest? solent, falso quidem, tamen communi solent usu illius Musam incestam vocare, qui incesta in carminibus suis tangit, licet eis adversetur, sed qui eos, qui talibus abstinerent, ita vocaret, Aristophanes profecto esset unus. non, opinor, durius erat, quod tale commentum nugas meras vocabam. at Bentlejum haec fallere non poterant; Bentlejus et Aristophanem haec non potuisse dicere, neque re vera contra θηλυδρίους fabulas scripsisse non ignorabat. scripsit autem φησ' ἐπιθέσθαι. quo remedio plurimae sublatae sunt labes. at novam et ingentem restituit. quid enim tum Eupolis dixisse censendus est? ego nihil sani excogitare possum. et multo gravius est, quod Aristophani tribuitur, quod nec ille nec ullus an-

---

[30]) Quo erat judicio, his se decipi non passus est Reiskius; scripsit igitur, perperam quidem, ut ab aliis intellectum est, γνώμην ἔχειν. at summis malis non medicatus est.

tiquae comoediae poeta dicere poterat: cum a me precaretur amator, peperci amasio. hoc vero disertis verbis confitentem Aristophanem facit Bentlejus. etiam haec igitur reicienda sunt, at egregie conjectura illa docet, vim loci Bentlejum optime perspectam habuisse. intellegi autem me judice locus potest; scilicet non ita potuit Aristophanes Eupolidi obloqui, ut contenderet, se contra exoletos scripsisse, quod non fecerat, causam modo aliam esse volt, atque ille supposuerat. jussu amatorum id factum esse negat Aristophanes, imo causam fuisse animi gravitatem, quae a talibus abhorreat carminibus. quantum hoc verum fuerit, nil ad rem. sane si ad strictas logices rationes revocanda essent omnia, haec postularemus: *οὐκ ἐκωμῴδησα τοὺς ἐξώλεις, ἀλλ' οὐχ, ὥςπερ σὺ λέγεις, πεισθεὶς, εἴτις ἐραστὴς κωμῳδεῖσθαι παιδίχ' ἑαυτοῦ μισῶν ἔσπευδε πρὸς ἐμὲ, ἀλλὰ γνώμην τιν' ἔχων ἐπιεικῆ ἵνα κ. τ. ἑ.* sed quia id potissimum agit, ut obsequentiae in amatores insimulationem deneget, breviloquenter in unum illud contraxit enuntiatum; quo factum est, ut *ἵνα* videatur a *γνώμην ἐπιεικῆ ἔχων* pendere, quod per se requireret consecutivam particulam. audacem hanc esse dictionem non nego, nego verba recte non potuisse intellegi, imo etiam in Latino sermone etsi participiorum ille caret facili elegantique usu, falli non poterat certe is, qui non ignoraret, quo obscurior verborum aculeus tenderet, tali sententia: neque si eum prensabat amator, delicias suas vellicari aegre ferens, ulli obsecutus est, animi praeditus gravitate, ne carmina faceret obscena[31]).

---

[31]) Notum est, suam cuique poemati esse Musam, moribus ingenioque prorsus similem. ita Acharnensibus est *φλεγυρὰ πυρὸς*

Quae cum mihi videar ad liquidum perduxisse, paullo longius ipsius poetae verba procedere me patiuntur, vel potius jubent. etenim *κωμῳδεῖσθαι μισῶν* demonstrare videtur, delicatos jam ab aliquo poeta ludibrio esse habitos, porro Eupolis Aristophani obicere vix poterat, quod ab illis abstineret, nisi ipse exoletos aggressus, denique acerbitas ultimorum Aristophanis verborum existit et mordacissima, et quae ex totius loci conformitate sequi videatur, si non solum suae Musae castitatem celebrat, sed etiam Eupolin Musa lena uti dicit. necessario igitur mihi concludendum videtur, non solum Eupolin ante Vespas illa objecisse, sed etiam fabulas contra *θηλυδρίους* ab eo scriptam esse, qualem postea contra Autolycum Calliae delicias scripsit Autolycum I. utrum vero una haec complexus sit fabula, an in ea, qua Aristophanis corruptam indulgentiam castigabat, ipsius modo dimicatas pugnas respexerit, cum alterum altero non magis arrideat, nos non amplius dijudicare possumus.

Quid vero apud scholiastam Autolyci memoria? non improbabile esse Meinekius arbitratur, tale quid Eupolidem in Autolyco dixisse. itane vero? ante Vespas eum id dixisse, per Aristophanem ipsum constat, num se ita repetiisse putandus est? jam supra significavi, mihi hoc non videri credibile; sed sit licet hoc positum in sensu illo, nequaquam semper spernendo, quid poetae sani

---

ἔχουσα μένος (665). Laconibus venit *Ταΰγετον ἐραννὸν ἐκλιπῶα Μῶα Λάκαινα* (Lysistr. 1296). Aves suam habent *Μοῦσαν λοχμαίαν ποικίλην* (736). Euripidis est anus *ὀστράκοις κροτοῦσα* (Ran. 1306). igitur, carminis de lenociniis compositi Musa *προαγωγός* est.

judicii, quin etiam poetae magno, qualem Eupolin fuisse credere debemus veterum consensui, possit imputari — nihil id nos liberat opera investigandi, quanam in fabula id dixerit Eupolis, quaenam fuerit illa, qua *θηλυδρίους* exagitaverit[32]). mihi vero longe probabilissimum videtur, scholiastam in nomine fabulae errasse, deceptum argumenti similitudine; quales errores inter se mutatis titulis Euripideis veluti Troadibus et Hecuba, Licymnio et Hercule, Medea et Aegeo sive Peliadibus, Oreste et Electra saepe videmus commissos. hic vero nominatur Autolycus fabula, qua imprimis irrisis exoletis Musam suam lenam fecit Eupolis; quid facilius, quam Autolycum cum illa altera ante Vespas docta fabula similis argumenti confusam esse, modo credamus, in eadem igitur et exoletos et Aristophanem ab Eupolide esse vellicatos? quae una tantum fuisse potest. nolo enim omnes examinare, ut tandem ad eam perveniam, quae huc quadret; quamquam certissima, neque longinqua hic foret via — praeter Imbelles enim Aureamque Aetatem, quas mox tractabimus, facile demonstrari potest ob temporum rationes nullam comoediam in censum venire. at labor ille superfluus videbatur; namque in puerorum amoribus versabatur una tantum, Amici. Runkelius quidem Adulatoribus similem eam volebat, nec Meinekius, quantum ex adnotatione ad fgm. 9 colligitur,

---

[32]) Possit quispiam cogitare, verba scholiastae *ἐν Αὐτολύκῳ τοιαῦτά φησιν* vertenda esse, tales comoedias scripsit Eupolis, veluti Autolycum. cui refragari videtur *φησίν*, quod nisi de uno ex comoedia versu dictum non crediderim. ceterum investigandi illam operam eo non minui, apertum est.

ab illa sententia alienus videtur. at *φίλοι*, absolute positum, non idem esse potest, atque *οἱ περὶ τάγηνον καὶ μετ᾽ ἄριστον φίλοι*, neque ullum ejus argumenti aut ejusdem illius argumenti ab Eupolide bis tractati usquam conspicitur vestigium. contra apud elegantes homines, apud nobilitatem, a qua puerorum amores imprimis exercebantur, *φίλοι* idem videtur fuisse atque *ἐρασταί* (Plato sympos. 182 C. 183 C. Xenoph. sympos. IV. 27)[33]). deinde in hac fabula Lyco, pater Autolyci etiam ob Rhodiam uxorem, quae comicis ob impudicitiam largam conviciorum dabat materiem, exagitabatur[34]). denique res confici videtur considerato fgm. inc. 26 apud Cramer. anecd. II. 372; *ὁ κατὰ ψυχὴν (πονηρὸς) ὀξυτόνως, ὁ δὲ κατὰ τὸ σῶμα προπαροξοτόνως. καὶ παρ᾽ Εὐπόλιδι τὸ θηλυκὸν πονήρα.*

καὶ μὴ πονηρούς, ὦ πονήρα, προξένει.

τὸ μὲν πρότερον ὀξύνοντες (leg. *ὀξύνουσιν*) *τὸ δὲ ἐπὶ τῆς προμνηστρίας τὸ δεύτερον βαρυτονοῦντες* (leg. *βαρυτονοῦσι*). *τῶν μὲν γὰρ τοὺς τρόπους ὁριζόμενος* (leg. *ὁρίζεται*) *ὁ δῆμος, τῆς δὲ αἰτιᾶται* (sic Meineke. *αἰτιατικῆς* cod.) *ὡς ἐν λοιδορίᾳ τὴν τύχην.* Scribe *Δῆμος* et omnia patent. Demus, Pyrilampis filius, pulcerrimus Atheniensium[35]), apud lenam aliquam prostat in fornice, et iratus

---

[33]) Cum hoc argumento bene congruit, quod *ἱππῆς* nobilissimi Atheniensium memorantur (4), notum est, Athenis et *ἱπποτροφίαν* et puerorum amores a nobilissimo quoque cultos esse, *ὄλβιος, ᾧ παῖδές τε φίλοι καὶ μώνυχες ἵπποι.*

[34]) Aristoph. Lysistr. 270 c. schol. Meinek. ad Eup. Autol. 4.

[35]) Aristoph. Vesp. 98 c. schol. Plat. Gorg. 481 D. Boeckh, ind. lect. Berol. 1839, 14.

est, ad se admitti homines plebejos. hanc scaenam non ex Autolyco sumptam esse, quod idcirco credibile videri possit, quod initio illius fabulae tria tuguria nescio quis monstrabat, ubi Lyco, Rhodia, Autolycus vivebant, suum quisque habens lupanar (fg. 5) certissime probat Aristophanis versus, illud enim neminem mihi non esse concessurum spero, *Μοῦσαν προαγωγὸν* Eupolidi ab Aristophane tributam esse propter *προμνηστρίαν* ab illo nuper in scaena exhibitam. Demus igitur atque lena ex illa ante 422 acta fabula sumpta sunt. num vero hallucinor, cum haec inter se jungam, cum de cupidis Demi amatoribus dictum audiam *οὐδέποτ᾽ ἴσχει γ᾽ ἡ θύρα* (fg. 9), cum Rhodiam, feminam abjectam et pauperem lenam illam fuisse coniciam, cujus Demus *αἰτιᾶται τὴν τύχην*[36])? mihi talis concentus, qualem hic inter omnia testimonia existere videmus, Amicis, fgm. inc. 26, Vesp. l. l. inter se junctis, summum veritatis documentum videtur, quod vix eo firmaretur, si et facilem et dulcem subirem laborem, probandi, quam egregie cum natura et partium studio Eupolidis talis fabula consentiret, quam bene inimicitias inter Eupolidem Aristophanemque exortas inde repeti liceret, et quae similia me praetermissurum esse pro brevitatis et causae profecto satis intricatae claritate pollicitus sum. Amicos igitur docuit Eupolis ante Vespas post Equites, siquidem Aristophane jam inimico utebatur, i. e. aut Dionysiis 424 aut Lenaeis 423. idem tempus et reliquae jam notae didasca-

---

[36]) Bis etiam illam lenam significari arbitror in incertis fragmentis 39: *γυνὴ μέλαιναν δέρριν ἠμφιεσμένη* et 62: *παρὰ τηδεδὶ σὺ τῇ σοβάδι κατηγάγου;*

liae commendant, et flos Autolyci Demique, quorum alter apud Xenophontem valde tenellus est, sine dubio mox marcescens. accuratius vero definire nondum possumus, antequam contemplati simus Imbelles.

Tale argumentum, quale ille titulus significat[37]) non doceri potuisse, nisi ipso belli tempore, per se summam veri speciam habet, i. e. ante 421. at deerant adhuc omnia, quibus accuratiora fulcirentur[38]). atque vereor, ne ariolatio etiam prudentibus videri possit, quod persona aliqua cognita tempus quoque clare putarim indicari. personam enim cognosci jubet fragment. 4.

μήποτε θρέψω παρὰ Περσοφόνῃ
τοιόνδε ταῶν'
ὃς τοὺς εὕδοντας ἐγείρει.

hoc enim Demi, nobis jam supra cogniti, pater loquitur, Pyrilampes, ille enim unus Atheniensium rarissimas illas aves aluit[39]), quas sine dubio a Persis domum induxerat,

---

[37]) Alter *Ανδρογύναι* mollitiem etiam exagitatam esse, quod prope abest a consilio fabulae, probat, at summam fuisse, exhiberi homius in pugna ignavos, in cena fortissimos et Melanthii mentio et chori verba ex epirrhemate monstrant (6) ea enim parte chorus de se suaque natura atque indole loquitur, quod et in Aristophanis paene una quaque fabula et in Eupolidis Capris (1) et Adulatoribus (1) apparet.

[38]) Nihili esse fg. 2 Meinekius vidit, nec Pisandri ad Spartolum expeditione confido (1 cum emendatione Hanovi exercit. crit. 80 sq.), ceterum ex hac fabula sine dubio sumptum fg. inc. 85: *Ὄνου γνάθος: τόπος τῆς Λακωνικῆς, ἅμα δὲ εἰς πολυφάγον.*

[39]) Antiphon *περὶ ταῶν* apud Athen. IX, 397 F. qui, quod plus triginta annos ante orationem illam Demum pavones aluisse dicit, fallitur aut verum non dicit; Demus, adulescentulus ca. 422, vix natus eo tempore erat.

quo legatus missus erat[40]). Pyrilampem vero non Demum hic loqui, quod fortasse maluerit quispiam, ut totam nostram disputationem evellat, ultima verba demonstrant, ex Sophocle hic festivissime expressa; scilicet Pericles[41]) *διεβάλλετο . . . εἴς τε τὰς Πυριλάμπους ὀρνιθοτροφίας, ὃς ἑταῖρος τοῦ Περικλέους αἰτίαν εἶχε ταῶνας ὑφιέναι ταῖς γυναιξὶν αἷς ὁ Περικλῆς ἐπλησίαζεν.* en habes pavones, qui dormientes suscitant. de Demo vero talia dici ineptum fuisse non opus est addatur. at misellus Pyrilampes plorat, de morte cogitat, et amittendis carissimis avicellis! cur hoc? quod libuit poetae, quod in fabula, quae de bello est et ejus minime cupidis helluonibus et mollibus, nihil promptius, quam ignavum hominem aut exeuntem aut, ut vel Lamachum videmus, volneratum lamentari. audio, nec habeo, quod opponam; tamen si demonstravero, vere volneratum esse Pyrilampem, probabilius duco, illuc respexisse Eupolin, quam, quod comicus praesaga mente vidisset, postea accidisse. jam evolve Plutarchi de genio Socratis libellum 9 . . . *Πυριλάμπης ὁ Ἀντιφῶντος ἁλοὺς ἐν τῇ διώξει περὶ Δήλιον ὑφ᾽ ἡμῶν, δορατίῳ τετρωμένος.* hoc me innisum fundamento confiteor, pro comperto habere, Imbelles aut Lenaeis 423 aut Liberalibus urbanis 422 actam esse. eisdem vero circumscribenda est Aurea Aetas terminis, siquidem ut Meinekius Bergkiusque viderunt in Cleonem scripta fabula post Equites, ante mor-

---

40) Plat. Charmid. 158 A. unde cognoscitur. Aristoph. Acharn. 63. Pyrilampem ridere; quod nescio an nondum animadversum sit.

41) Plutarch. vit. Pericl. 13.

tem Cleonis acta est. videtur autem ex compluribus, per se non ita certis, conjunctim, nisi fallor, non spernendis rationibus Liberalibus 422 tribuenda esse; quod certissime liceret pronuntiare, si Fritzschii conjectura, fgm. 5 respici Lachetis causam, quae mihi certe non absurda videtur, probari posset. at idem suadent alia; quin enim nisi in Aurea Aetate Cleo persona non fuerit, dubitari, opinor, nequit. recte igitur Meinekius huc revocavit fgm. inc. 20. 21[42]). at *πολλὰ λυπῶν τὴν πόλιν* Cleo nisi fallor dici non poterat, nisi postquam Chalcidice a Brasida occupata Athenis amore pacis frustra omnia moliente Cleo, belli propugnator acerrimus, adeo in odia civium incurrit, ut ipse Amphipolin mitteretur. quo accedit fgm. 82 *Γαληψός: παίζει Εὔπολις παρὰ τὸ λαμβάνειν*, in Cleonem dictum esse, vidisse Fritzschium, atque Galepsum cepit eadem aestate, qua ipse occubuit[43]), ut probabilius videatur, in nomine urbis lusisse Eupolidem, superstite Clune, nondum capta urbe, et fortasse fingens, *Γαληψὸν οὐ λαμβάνειν Κλέωνα διά τό γε λαμβάνειν*, quam satis frigide mortuo illo, diruta urbe Galepso, pace facta. at tum sine dubio Liberabilis 422 id in Cleonem conjecit dicterium, Aurea nimirum Aetate. denique hoc explanaret, cur Aristophanes versus eosdem de pugna contra *καρχαρόδοντα* in Pace repeteret. in Vespis enim ita loquitur, quasi unus sit, qui audacia tanta, tanto in patriam amore flagret, ut Cleonem aggrediatur. mox alia quidem sed

[42]) Cf. Meinek. Anall. Alex. 99. Cobet. obs. in Plat. 190.
[43]) Thucyd. IV, 107; V, 8.

nec minus eleganti nec minus mordaci ratione compositam in Cleonem scribit comoediam Auream Aetatem Eupolis[44]). victoriam reportat splendidissimam[45]) tum Aristophanes veritus, ne prae novo et fortasse ingeniosiore carmine in oblivionem cadat Equites, mordacissima nequaquam ingeniosissima fabula, repetit sui laudationem, se scilicet primum contra Cleonem extitisse, se illum aggressum esse *οὐκ ἰδιώτας ἀνθρωπίσκους κωμῳδῶν οὐδὲ γυναῖκας.* non sine magna probabilitate igitur suspicari licet, Liberalibus 422 Aurea aetate primas tulisse Eupolin. jam vero cetera sponte secuntur, Imbelles enim jam unis Lenaeis 423 docta esse potest, ac profecto irrisio Pyrilampis salsissima est, cum statim post pugnam, in qua vulneratus et captus est, in publicum prodierit; atque non minus certe concluditur, Amicos Dionysiis 424 doctam esse — nisi Eupolin eisdem ludis binis decertasse putes fabulis, quod certe improbabilius est. altera utra, aut Amici aut Imbelles vicit, nam ad modo reportatam Eupolidis victoriam

---

44) De argumento falsi sunt Meinekius et Bergkius, auream illam Crono regnante aetatem ab Eupolide exhibitam esse suspicati; nam frustra quaeris Eupolin inter descriptores vitae beatae Athen. VI, 268. unice verum vidit Welckerus, qui ad Runkeli fgm. Eup. pg. 160 sua manu adscripsit „de statu pessimo cum irrisione tamquam aureo", cf. kleine Schriften I, 337. quam viri summi admirabilem conjecturam, sive veri cognitionem, cum penes me haberem, celare viros doctos nolebam, nolo vero hic illam persequi, quod summo cum fructu fieri potest. id addam, Jovem, quem hic induxit Eupolis, Cleonem videri, ut apud Cratinum Chiron. Nemes. Pericles fuit.

45) Quod et ex gloria fabulae et ex supra disputatis sequitur.

respicit in Vespis Aristophanes. si Bergkii de Deliadibus vera est suspicio, Imbelles; ego non possum dijudicare.

De Maricante et Autolyco I jam praetereundo allata sunt documenta.

De Pherecratis Feris hominibus vide Athen. V, 327 D. de Aristophanis Senectute supra p. 10. de Platonis Victoriis Cobet. Obs. in Plat. 87 quamquam haec certe non minore jure etiam 419 docta esse potest.

Lenaeis 423 aut Liberalibus 422 etiam Teleclides fabulam docuit. Nam fgm. inc. 1. Chariclem sucophantis corruptis *δίκην ξενίας* effugisse[46]), Niciam alia de causa eis argentum dedisse tradit. hoc egregie illustratur Aristoph. Agric. 1, qui idem factum spectare videtur[47]). illud egregie illi tempori convenit, cum frumento ex Euboea allato civitatis causae florebant[48]). conjecerit fortasse quispiam, fabulam illam fuisse Infallibiles, quae ante 426, Morychi legationem scribi non poterat[49]) at cum spuria esset fabula, id certe dubium semper esset, num ex ea inc. 1 sumptum esset. nescio vero an ex schol. Vesp. 1133 sequatur, veteres criticos omnino negasse, Infallibiles, quam haberent, ab antiquo poeta

---

46) Scribendum puto ob oppositionis elegantiam verba prima *Χαρικλέης μὲν μίαν ἔδωκε μνᾶν,* pro *μὲν οὖν ἔδωκε.*

47) Si Himerio fides est (Ecl. XXXVI, 318) Hyperbolo id dedisse putandus erit Nicias.

48) Schol. Vesp. 735. Bergk, Com. II, 1116.

49) Acharn. 887. Vesp. 506 c. schol. 1133. Pac. 1003. Plat. Querol. I. Meinek. Com. V, 30. Bergk, Com. II, 970.

scribi potuisse, ut de aetate, non solum de origine dubitatio fuisse putanda sit. cum vero hoc, ratione non habita Pseudopherecrateis fabulis Metallensibus et Chirone (cf. Met. 3) quibus lucem afferre non possum, tractari nequeat, in medio mihi haec quaestio relinquenda est.

Haec sunt, quae ad fastos comicos illius aetatis poteram afferre. prorsus vere lubricas aliquot conjecturas, veluti Raspii de Eupolidis Urbibus consulto praetermisi. eis enim tractandis ultra temporum fines a me mihi propositos, fieri non poterat, quin excederem.

Apertum est, hac via non cognosci posse, nisi eos poetas, qui rem publicam et personas aliunde notas attigerint; alii ex tenebris erui nequeunt, veluti Pherecrates, quem saepius per hoc tempus docuisse certissimum est, aut Crates, quem aliquotiens intra annos 430—26 chorum accepisse verisimile est. alii paene nomina modo aut tituli videntur, velut Myrtilus, Philonides, Callistratus; quibus accedunt paullo nobiliores Phrynichus, Amipsias, Callias. neque omnes didascalias eorum poetarum notas esse, quos tetigimus, aut constat, aut verisimile est; quod tamen de Aristophane et Eupolide affirmaverim. historia quidem comoediae poscit, ut et illi respiciantur et illustrentur; hic eos respicere nolui, atque nisi fallor debui. manca et lacera scientia nostra maxime in comoedia est, et quisquis eam adit augendam aut illustrandam, scit atque ne obliviscatur caveat, se aliquo modo Sisyphi volvere saxum. utinam tamen his disquisitionibus id aliquam partem demonstratum sit, non dignam esse hanc literarum Graecarum partem,

quae non solum non colatur sed cum fructu coli omnino non posse pronuntietur, neque adeo Sisypheum esse laborem, ut dicere iterum possit Lucilius:

vorsat
Saxum sudans nitendo neque proficit hilum.

VITA SCRIPTORIS.

Natus sum Udalricus Fridericus Wicardus de Wilamowitz-Möllendorff a. d. XI kal. Jan. MDCCCXLIX patre Arnoldo libero barone matre Udalrica e gente de Calbo parentibus, adhuc superstitibus, in fundo paterno Marcovico sito in ea provinciae Posnaniensis parte, quae antiquitus Cujavia audit. fidei adscriptus sum evangelicae. elementa primum per optimam matrem dein per quosdam theologiae candidatos domi doctus puer tredecim annorum scholae Portensi, literarum bonarum altrici inclutae, traditus sum. quo felicius evenire mihi non poterat. ibi in dies auctus fotusque artium liberalium amor, mox natum philologiae studium: pientissimo gratissimoque animo numquam desinam colere cum Portae disciplinam mores instituta per saecula tradita, tum virorum eorum memoriam, qui me non solum docebant regebantque, sed etiam studia mea et omnibus, quae mihi prodesse possent, auxiliis juvabant, et usu et consuetudine, ante omnia exemplo suo, quod mihi semper ante oculos versabitur luculentum, mirifice incitabant et, ne in avia aberrarent, servabant. satis erit nominasse Kobersteinium Steinhartum D. Volckmannum imprimis vero Corssenum, ingenii mei qualiscumque fautorem candidissimum et Peterum, cujus in familia filii loco habitus sum.

cui has studiorum meorum primitias sacras esse volui. Porta sub autumnum anni MDCCCLXVII Bonnam me contuli in disciplinam Ottonis Jahni viri incomparabilis, quem mihi favisse semper summa mihi erit gloria, cujus augustum exemplar utinam non solum admirari sed etiam imitari didicerim. praeter Jahnium me docuerunt Bernays Diez Gildemeister R. Kekulé E. Hiller J. Schmidt Springer Usener. Jahni Usenerique benivolentia factum est, ut per annum seminarii philologici sodalis essem ordinarius. concesseruntque Bernaysius ut Aristoteleis, Hillerus ut Pindaricis, Gildemeisterus ut Vedicis, Kekuleius ut archaelogicis, Springerus ut Vasarianis exercitationibus interessem. quibus omnibus quantum debeam, me nullo modo fugit; in perpetuum me sibi devinxere cum singulari fructu, quem ex eorum lectionibus cepi, tum insigni benivolentia, qua me fovere numquam destiterunt, Bernaysius et Kekuleius. neque minore pietate mihi colendi sunt, qui inde ab anni proximi hieme me docuerunt Berolinenses Bonitz Curtius Haupt Kirchhoff Trendelenburg Friederichs. quibus non indignum me fore discipulum spero, non ingratum spondeo.